Vnum genus est aduersum infestumq; nobis, eorum quos P. *Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut uobis uoce præirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro uestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis iudices, & timorem si quem habetis deponite. Nam si unquam de bonis & fortibus uiris, si unquã de benemeritis ciuibus potestas uobis iudicãdi fuit: si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis uiris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ nutu & uerbis sæpè significassent,*

re &

re & ſententijs declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtræ autoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an tamdiu uexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per uos ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq; recreemur. Quid enim nobis duobus laborioſius Iudices? quid magis ſolicitum, magis excercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempub. addu-ctt, metu crudeliſſimorum exitiorũ carere non poſſumus. Et quidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat. In iudicio uerò, & in eo concilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos ad eius non ſalutem, modo extinguendam, ſed etiã gloriam per tales uiros infringendam. Quinquam in hac cauſa Iudices T. Annij Tribunatu, rebus omnib. pro ſalute Reipub. geſtis ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempub. merita condonetis: nec poſtulaturi ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit: idcirco eam uirtuti Milonis potius, quàm popu-

li Ro-

Parenthesin, ut sit dilucidior oratio, sitq; plenus ordo. Quanquam præsidijs salutaribus septi sumus, tamen non adferunt Oratori aliquid, ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si opposita) Prolepsis, qua amouet metum à iudicibus. Negat enim armata præsidia contra Milonem esse disposita, & facit antithesin. Sed me recreat) Correctio, & obiter laudat Pompeium. Dedere) id est, obijcere armatis hominibus. Temeritatem) intemperantiam, audaciam, impetum. Armare) confirmare. Quamobrem) Concludit enumerando qui pro se, qui contra sint, cum aduersæ partis extenuatione. Non periculum) Hæ collationes uerborum ad amplificationem pertinent. Præsidium) auxilium & defensionem. Nostra est) id est, nostræ causæ fauet, pro nobis est. Neque eorum) Suspendit sententiam. Vndique) ex omni parte. Exitum) euentum.

Vnum genus est aduersum infestumq; nobis, eorum quos P. Clodij *furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut uobis uoce præirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro uestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis iudices, & timorem si quem habetis deponite. Nam si unquam de bonis & fortibus uiris, si unquã de benemeritis ciuibus potestas uobis iudicãdi fuit: si denique unquam locus amplißimorum ordinum delectis uiris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ nutu & uerbis sæpè significassent,*

Anaphe ra

re &

re & ſententijs declararent: hoc profectò tempore cam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtræ autoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an tamdiu uexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per uos ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq; recreemur. Quid enim nobis duobus laborioſius Iudices? quid magis ſollicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempub. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorũ carere non poſſumus. Et quidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat. In iudicio uerò, & in eo concilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos ad eius non ſalutem, modo extinguendam, ſed etiã gloriam per tales uiros infringendam. Quinquam in hac cauſa Iudices T. Annij Tribunatu, rebus omnib. pro ſalute Reipub. geſtis ad huius crimĩis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempub. merita condonetis: nec poſtulaturi ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit: idcirco eam uirtuti Milonis potius, quàm popu-

li Ro-

Parentheſin, ut ſit dilucidior oratio, ſitq; plenus ordo. Quanquam præſidijs ſalutaribus ſepti ſumus, tamen non adferunt Oratori aliquid, ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus. Quæ ſi oppoſita) Prolepſis, qua amouet metum à iudicibus. Negat enim armata præſidia contra Milonem eſſe diſpoſita, & facit antitheſin. Sed me recreat) Correctio, & obiter laudat Pompeium. Dedere) id eſt, obijcere armatis hominibus. Temeritatem) intemperantiam, audaciam, impetum. Armare) confirmare. Quamobrem) Concludit enumerando qui pro ſe, qui contra ſint, cum aduerſæ partis extenuatione. Non periculum) Hæ collationes uerborum ad amplificationem pertinent. Præſidium) auxilium & defenſionem. Noſtra eſt) id eſt, noſtræ cauſæ fauet, pro nobis eſt. Neque eorum) Suſpendit ſententiam. Vndique) ex omni parte. Exitum) euentum.

Vnum genus eſt aduerſum infeſtumq; nobis, eorum quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui heſterna etiam concione incitati ſunt, ut uobis uoce præirent, quid iudicaretis. Quorum clamor ſi quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui ſemper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro ueſtra ſalute neglexit. Quamobrem adeſte animis iudices, & timorem ſi quem habetis deponite. Nam ſi unquam de bonis & fortibus uiris, ſi unquã de beneméritis ciuibus poteſtas uobis iudicãdi fuit: ſi denique unquam locus amplißimorum ordinum delectis uiris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes & bonos ciues, quæ nutu & uerbis ſæpè ſignificaſſent,

Anaphe ra

inſtru

re &

re & ſententijs declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtræ autoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an tamdiu uexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per uos ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq; recreemur. Quid enim nobis duobus laborioſius Iudices? quid magis ſollicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempub. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorũ carere non poſſumus. Et quidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat. In iudicio uerò, & in eo concilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos ad eius non ſalutem modo extinguendam, ſed etiã gloriam per tales uiros infringendam. Quanquam in hac cauſa Iudices T. Annij Tribunatu, rebus omnib. pro ſalute Reipub. geſtis ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempub. merita condonetis: nec poſtulaturi ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit: idcirco eam uirtuti Milonis potius, quàm popu-

li Ro-

1

M. TVLLII CICERONIS PRO T. ANNIO MILONE ORATIO, PHILIPPI Melanchthonis, & Bartholomæi Latomi adnotationibus & artificio illustrata.



7. X. 2.

COLONIAE.
Apud Viduam Ioannis Aquensis. Anno 1553.

ARGVMENTVM ORATIONIS Milonianæ per Reimbardum Lorichium Hadamarium.

Bis senos fasces optante Milone, Curulem
Ambiuit sellam Clodius arte pari.
Qui se prætura minus, ut sperauit, abuti
Posse uidens, summas hoste gerente uices,
Aemula diuersæ partis conamina iuuit,
Vt uoti fieret compos, at ille nihil.
Vnde uetus pũctum uelut ense recruduit ulcus:
Tetra simultatis fluxit & ira nouæ.
Rura peragranti curru Lauina Miloni,
Occurit uectus Clodius acer equo.
Hos inter medios uenit furor, ille peremit
Fortior hunc, miseris conficiendo modis.
Impositum rheda lugubre cadauer, in urbem
Portatum uarij causa tremoris erat.
Fuluia quo coniunx augeret crimina, cæsi
In Rostris posuit membra uidenda uiri.
Partibus aduersis in ius homicida uocatus,
Non negat, illatam iure sed esse necem.
Dulciloquus causam Cicero Patronus honestam
Tutando, pepulit tristia fata rei.

IN ORATIONEM
M. T. CICERONIS PRO MI-
lone disposito Philippi Melanch.



Ratio pro Milone est generis iudicialis, Status est iuridicialis: quæritur enim de iure. Est igitur hæc propositio principalis huius orationis, & status totius negocij: Milo iure interfecit Clodium. Principalis syllogismus huius causæ est: Vim ui depellere licet: Milo uī ā Clodio illatā ui depulit: Igitur Milo iure interfecit Clodium. Maior cum sit manifesta, præsertim si auditor sit admonitus de genere, uidelicet quod sit lex naturæ, non habet opus probatione. Itaque Cicero non tam probat, quàm ornat eam, seq; ad locum communem refert de lege naturæ. Minor est Crinomenō in hac tota disputatione, ideo maxima pars orationis in ea consumitur, & pertinet minor ad statum coniecturalem: quia est facti quæstio, uter alteri insidiatus sit. Cùm autem duo sint in summa loci status coniecturalis, uoluntas, & facultas, sustinit Cicero argumenta primum à uoluntate utriusq; deinde à facultate: quibus fidem facit. Clodiū insidias feciſſe Miloni. Longum fuerit hîc recensere singula argumenta, sed monstrabimus ea, & distribuemus suis locis. Tantùm memineris, id, quod in singulis causis facere necesse est, statim principalem, seu Propositionem principalem negocij. Milo iure occidit Clodium: deinde Crinomenon, Clodius insidiatus est Miloni nā hæc duo in qualibet disputatiõe, status & Crinomenon, præcipuè requiri debent. Causa acta est magno tumultu, quia Clodij factio potens erat, et Milonē atrociter deposcebat ad pœnam. Quare & Senatusconsultum factū est, quod ualde prægrauabat Milonem, nam eiusmodi senatusconsultum non fiebat nisi in periculosissimis seditionibus. De his præiudicijs queritur Cice. quæ suo loco exponemus.

EXORDIVM.

CONstat tribus locis, querela, adhortatione & correctione: in qua breuiter indicat quo argumento defensurus sit Milonem, propterea quod id cum esset æquissimum, in primis ualuit, ut æquo animo audirent eum Iudices. Querela autem iusta fuit: quia Pompeius tanquam in re atrocissima delectus habuerat, cohortes armatas disposuerat in foro, cum exerceretur iudicium. Itaque amici Milonis metu armorum deterriti, minus libere pro eo niti aut suffragari poterant. Ideo Cicero ab hac querela orditur: sed prudenter tamen addit inuersionem, quo cõsilio forum septum sit armatis, & ut Iudices confirmet, & ne Pompeium nimium offendat.

IN M. TVLLII CICERONIS PRO T. ANNIO MILONE ORATIONEM, *Bartholomæi Latomi Argumentum.*



ITVS Annius Milo, & P. Clodius acerrimi inimici erant, studebatq; Milo optimatibus. Clodius autem princeps popularium factionum cum expulisset in Tribunatu suo Ciceronem, multa in Repub. per uim & contra uoluntatem bonorum moliebatur. Cæterum in eundem annum consulatum petebat Milo, & præturam Clodius, qui ut liberum annum ad gerendam præturam haberet, non consule Milone: studebat competitoribus eius summo conatu: qua contentione factum est, ut comitia ante finem eius anni perfici non possent. Interim fortè Miloni iter erat Lanuuium ad solennem & necessarium diem

diem obeundum. Obuiam fit ei in uia ante fundum ſuum Clodius, cum delecta ſeruorum manu, armatus, & expeditus in equo. Milo autem cum uxore & familia rheda uehebatur, ſequente ſeruorum agmine. Inter hos fortè cùm pugna commiſſa eſſet, ſeq; temerè intuliſſet Clodius, uulneratus eſt ab uno gladiatorum Milonis, & grauiter ſaucius à ſuis exceptus eſt, & in proximam tabernam delatus. Milonis iuſſu taberna expugnatur, & latens extractus Clodius multis uulneribus conficitur. Cadauer in uia relictum, cum Senator quidam rure reuertens in urbem peruexiſſet. Ibi magna lamentatione Clodianorum exceptum eſt: ac primò in atrio domus poſitum, deinde perlatum in forum & in curiam, duce Sexto Clodio ſcriba, atq; inibi crematum: ex quo igne curia quoque conflagrauit. Milo interim cùm ad declinandam inuidiam extra urbem moraretur, eſſetq; fama eum iturum in uoluntarium exilium, recreatus poſtero die in urbem rediit: petebatq; nihilominus conſulatum, aperta etiam largitione in plebem facta. Itaque ſenatus cùm uideret finem nullum certaminum forè iamq; antea mandaſſet Rempub. Cn. Pompeio Procos, & Interregibus, qui finito iam anno alij ex alijs creabantur, ratus id optimum fore ad ſedandos tumultus, Pompeium ſine collega Cos. creandum cenſet: facitq; S. C. ut primo quoque tempore comitia habeantur, & ut quæratur extra ordinem de cæde in Appia uia facta contra Rempub. & in iudicium noui Iudices eligantur. Quo S. C. propoſito, Cos. creatus Pompeius, iudicium decernit ex Senatus ſententia, quæſitorem ex ueteribus Coss. iudices extra ordinem eligit, dieq; iudicij conſtituta, diſponit in foro armatos milites: ipſe cum præſidio ad ærarium præſidet: quæ res ſanè & inuidiam Miloni, & terrorem iudicibus adferebat. Cæterùm cauſam egit Cicero, ſed timidè exceptus clamore aduerſariorum: Idq; breuiore oratione, quàm à ſe uiſam teſtatur Fabius, & oratiunculam appellat. Hanc autem quam legimus, ſcribunt ita perfectè (ut Aſconius inquit) ut iure pri-

ma habeatur. Damnatus fuit reus, & Massiliam in exilium abiit. Ad quam rem hoc ei etiam contulisse Plutarchus est autor, quòd præter morem reorum nec habitum in iudicio, nec uultum mutauerit. Status orationis iuridicialis est: Occidisti, Iure occidisti: An iure occiderit. Ratio, Insidiator enim fuit: Infirmatio. Non ille, sed tu fecisti. Coniectura: Vter fuerit. Sunt & aliæ infirmationes ex legis, Senatus & Pompei præiudicijs. Vnde & totidem iudicationes, sed hæc principalis. An cùm insidiator fuerit Clodius, sit iure occisus. Deinde accessoriæ: An lex uetet ullo tempore hominem indemnatum interfici. Item quid Senatus, quid Pompeius statuerint. Prima iuridicialis est ex relatione criminis, & coniecturam continet, reliquæ tres ex scripto & sententia. Tractantur priore loco præiudicia, deinde coniectura inducitur post narrationem. Post hanc comparatio criminis ad firmandam defensionem ex Repub. fuisse occidi Clodium. Postremò deprecatio in peroratione, quæ magno adfectu ac uehementia tractatur. Partes orationis sunt: exordium, refutatio, narratio, confirmatio, peroratio. Nam propositio subiuncta exordio, aditum facit ad refutationem.

PRO

PRO T. ANNIO MI-
LONE, M. TVLLII CI-
ceronis oratio.



TSI uereor, Iudices, ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere incipientẽ, timere: minimeq; deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reipublicæ salute, q̃ de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem adferre non posse: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint, ueterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt.

PHILIP. MELANCHTH.

ET SI uereor Iudices) Querela, quòd forum septum sit armatis. Sed me recreat.) Inuersio, quod arma deposita sint non contra Milonem, sed pro salute Milonis. Reliqua uerò multitudo) Addit ex uicino de populi studijs. Armati non aduersantur, nec populus, etsi seditiosi quidam, contra Milonem uociferantur. Estque hæc occupatio necessaria, quia amici Milonis deterrebantur concionibus tribunicijs, in quibus seditiosa multitudo contra Milonem incitabatur. Quare opus fuit hac extenuatione Clodianæ factionis.

BARTHOL. LATOMVS.

Exordium accommodatum est ad confirmandos

Iudices in causa Milonis, de qua metu armorum & Pompei imbecillius sentire uidebantur. Ergo primo queritur Cicer. & fatetur seipsum timere ut illorum timorem honestius arguat. Deinde se confirmando pariter ab illis metum amouet interpretando Pompei consilium, cur armatum præsidium in foro dispoluerit: idque totum & pro Milone factum esse ostendit, & causam inuidiose conuertit in aduersarios. Tamen hæc) Purgatio ex necessitate. Non enim) Aetiologia qua subiungit rationem, & explanat quod dixit. Quæ si opposita.) Prolepsis qua amouet metum à iudicibus. Negat enim armata præsidia contra Milonem esse disposita, & facit antithesin. Sed me recreat) Correctio & obiter laudat Pompeium. Quamobrem) Concludit enumerando qui pro se, qui contrà sint cum aduersæ partis extenuatione. Non periculum) Hæ collationes uerborum ad amplificationem pertinent.

Non enim corona consessus uester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. Nam illa præsidia quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra uim collata sunt, non adferunt tamen oratori aliquid, ut in foro, & in iudicio, quanquam præsidijs salutaribus & necessarijs septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si opposita Miloni putarem, cederem tempori Iudices, nec inter tantam uim armorum existimarem oratori locũ esse, Sed me recreat & reficit Cn. Pompei sapientißimi & iustißimi uiri cõsilium: qui profectò nec iusticiæ suæ putaret esse, quem reum sententijs iudicum tradidisset, eũdem telis militum de-

dere:

dere:nec ſapientiæ,temeritatem concitatæ multitudinis autoritate publica armare. Quamobrem illa arma,centuriones,cohortes, non periculum nobis denunciant, ſed præſidium: neque ſolùm ut quieto, ſed etiam ut magno animo ſimus,hortantur: neque auxilium modò defenſioni meæ,uerumetiam ſilentium pollicentur. Reliqua uerò multitudo,quæ quidem eſt ciuium,tota noſtra eſt neque eorum quiſquam,quos undiq; intuentes ex hoc ipſo loco cernitis,unde aliqua pars fori aſpici poteſt & huius exitum iudicij expectantes,nõ tum uirtuti Milonis fauet,tum de ſe,& de liberis ſuis,de patria,de fortunis hodierno die certari putat.

PHILIP. MELANCHTH.

Reliqua uerò multitudo,& cæt.) Addit ex uicino de populi ſtudijs. Armati non aduerſantur, nec populus,etſi ſeditioſi quidam contra Milonem uociferantur. Eſtq; hæc occupatio neceſſaria, quia amici Milonis deterrebantur concionibus tribunicijs, in quibus ſeditioſa multitudo contra Milonem incitabatur. Quare opus fuit hac extenuatione Clodianæ factionis,

BARTHOL. LATOMVS.

Non enim.) Aetiologia. qua ſubiungit rationem & explanat quod dixit. Corona) Id eſt multitudine. Non uſitata.) Iteratio eiuſdem uerbi & ſententiæ,id q; oratorie. Eandem enim rem ſæpe commutatis efferunt ad amplificationem. Pro templis.) Id eſt, ante templa. Tamen ne non.) Repetit particulam Tamen, cum ſenſu præcedentis membri propter

Parenthesin, ut sit dilucidior oratio, sitq; plenus ordo. Quanquam præsidijs salutaribus septi sumus, tamen non adferunt Oratori aliquid, ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si opposita) Prolepsis, qua amouet metum à iudicibus. Negat enim armata præsidia contra Milonem esse disposita, & facit antithesin. Sed me recreat) Correctio, & obiter laudat Pompeium. Dedere) id est, obijcere armatis hominibus. Temeritatem) intemperantiam, audaciam, impetum. Armare) confirmare. Quamobrem) Concludit enumerando qui pro se, qui contra sint, cum aduersæ partis extenuatione. Non periculum) Hæ collationes uerborum ad amplificationem pertinent. Præsidium) auxilium & defensionem. Nostra est) id est, nostræ causæ fauet, pro nobis est. Neque eorum) Suspendit sententiam. Vndique) ex omni parte. Exitum) euentum.

Vnum genus est aduersum infestumq; nobis, eorum quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut uobis uoce præirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro uestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis iudices, & timorem si quem habetis deponite. Nam si unquam de bonis & fortibus uiris, si unquã de benemeritis ciuibus potestas uobis iudicãdi fuit: si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis uiris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ nutu & uerbis sæpè significassent,

Anaphora

re & ſententijs declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtræ autoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an tamdiu uexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per uos ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq; recreemur. Quid enim nobis duobus laborioſius Iudices? quid magis ſollicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempub. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorũ carere non poſſumus. Et quidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat. In iudicio uerò, & in eo concilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos ad eius non ſalutem modo extinguendam, ſed etiã gloriam per tales uiros infringendam. Quinquam in hac cauſa Iudices T. Annij Tribunatu, rebus omnib. pro ſalute Reipub. geſtis ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempub. merita condonetis: nec poſtulaturi ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit: idcirco eam uirtuti Milonis potius, quàm popu-

li Ro-

M. T. CICER.

li Romani fœlicitati adſignetis. Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tũ deniq; obſecrabo obteſtaborq; uos Iudices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltẽ nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisq; uitam ut impunè liceat defendere.

PHILIP. MELANCHTH.

Quamobrem adeſte) Secunda pars exordij, quæ eſt adhortatio ad Iudices, ut fortiter iudicent. Et quidem cæteras) Indignitatem exaggerat ex collatione meritorum, & periculorum, quòd Milo ſemper extra iudicia cum ſeditioſis depugnauerit & pericula ſuſceperit, nunc certè in ipſo iudicio nihil debebat habere periculi. Quanquam in hac cauſa) Tertia pars exordij, & eſt reiectio : non defendebam Milonem à meritis publicis, ſed eo argumento quod eſt æquiſſimum.

BARTHOL. LATOMVS.

Vnum genus) Contemnit Clodianos, ſicut cæteros laudauit. Qui heſterna etiam) Hanc concionem habuit Numatius Plancus pro Milone. Quorum clamor) Bona inuerſio, qua ita Clodianorum metum remouet, ut commendet Milonem. Quamobrem adeſt .) Inſtaurat concluſionem, & ſubiecta ratione confirmat, quam ducit ex tempore. Ampliſs. ordinum) Senatorij & equeſtris. Vt ſtatuatis) Delabitur ad querelam, & miſericordiam captat à fortuna ſua ac Milonis, & mouet adfectus. Quid enim uobis) Declarat id quod dixit. Præmiorum) Bonorum & dignitatum. Et quidem) Adiungit fiduciam Milonis in cauſa & iudicio, ad conciliationem animorum ludicum utiturq; ornatis metaphoris. Tempeſtates & procellas.) Intelligit certamina & conten-

contentiones quæ solent oriri in senatu & concionibus. Quod semper.) Causa cur tot tempestates subierit. Quanquam in hac causa.) Correctio. Accessurus autem ad rem, pollicetur firmam rationem defensionis, in qua statum eiusdem ostendit: & format sententiam hypothetica circumductione, se nisi probauerit insidias Clodij, nihil de meritis Milonis, neque de Clodij morte dicturum esse, quibus uerbis & ostendit fiduciam in causa, & capita defensionis complectitur, & certum ordinem legemq; in agendo præscribit. Nec deprecaturi.) Repetit quod antè dixit, ad explendum numerum orationis. Salus uestra.) Significat diuino quodam consilio hanc pestem è Repub. esse sublatã, & salutare id fore Reipub. Sed si illius insidiæ.) Antithesis: qua pollicetur se probaturum causam, & obiter tangit capita defensionis, simulq; sternit uiam ad refutationem.

Sed antequam ad eam orationem uenia, quæ est propria nostræ quæstionis, uidentur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpè ab inimicis, ab improbis sæpè iactata sunt, & in concione etiam paulò antè ab accusatoribus: ut omni errore sublato, rem planè quæ uenit in iudicium, uidere possitis. Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominẽ occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum iudicium de capite uidit M. Horatij fortissimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitijs liberatus est, cùm sua manu sororem interfectam esse fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quæratur, aut negari solere omnino

esse

esse factum, aut rectè ac iure factum esse defendi? Nisi uerò existimatis dementem P. *Aphricanum fuisse: qui cum à* Cn. *Carbone.* Trib. Pleb. *in concione seditiosè interrogaretur quid de* T. *Gracchi morte sentiret, respondit iure cæsum uideri. Neque enim posset aut Hala ille Seruilius, aut* P. *Nasicâ, aut* L. *Opimius, aut* C. *Marius, aut me Consule Senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset.*

PHILIP. MELANCHTH.

Sed antrequam) Transitio. Negant intueri) Priusquam ad causam accedit, præiudicia quædam diluit quibus magnoperè prægrauabatur causa Milonis. Primum autem, quia generale est, minus lædebat Milonem, scilicet quod uociferabantur aduersarij, non esse concedendum in Repub. iure & legibus constituta, ut quisquam indemnatus interficeretur, ut priuati arma caperent, & cæt. Cicero contrà opponit exempla, quæ testantur aliquando iure interfici etiam indemnatos. Deinde addit rationem & casum in quo ius palàm concedit indemnatum interficere, scilicet, cùm uis ui depellenda est, & uenustè amplificatur hic locus communis translatus ad genus. Admonet enim Cicero, quod sit ius naturæ. Itaque inserit ornatissimam descriptionem iuris naturæ: non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùmetiam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, & cæt. Ideò autem profuit amplificare hanc sententiam, quia erit fons præcipuæ probationis in hac causa: est enim maior syllogismi principalis huius controuersiæ. Latina exempla nemini sunt ignota. Sed fit mentiò Orestis etiam, quem dicit absolutum esse Deæ sapientissimæ sententia, id plerique de Diana interpretantur,

tur, sed falluntur. Cicero enim Palladem intelligit. nam Palladis iudicio Athenis in Areopago absolutus est Orestes, priusquam ad Dianam profectus est, ut testatur Euripides, ordine commemorans iudicium in Tragœdia Iphigenia in Tauris. Euripidis uersus sunt:

Ως δ' εἰς ἄρειον ὄχθον ἦκον, ἐς δ' ἴκην
Τ' ἔσκν, ἐγω μὲν θάτερον λακῶν βάτον,
Το δ' ἄλλο πρέσβις ὑπὲρ ἦν ἐρεννάων
Εἰγω, ἀκούσασθ' αἵματ' μητρὸς πέρι
Φοῖβ' μ' ἔσωσε μαρτυρῶν. ἴσας δ' ἐμοὶ
Ἤνεγκε θ' ἱερίθμησε παλλὰς ὠλένη,
Νικῶν δ' ἀπήρα φόνια σειρατήρια.

Id est,

Vt in iudicium ueni in uico Martio,
Ego q; in altero subsellio steti,
In altero quædam dicens pro Erynnibus:
Hic Phœbus cædis audiens causam piam,
Defendit ipse testis: ac Pallas mihi
Effecit ut ferrentur Calculi pares:
Victor remoui signa parricidij.

Facit huius iudicij mentionem Demosthenes in oratione κατὰ Ἀριστοκράτ., ubi inquit iudicia capitis duo à Diis facta esse in Areopago: in altero Martem absolutum esse, qui stupratorem filiæ interfecerat: in altero Orestem, quòd ultus esset patris necem. Idem est apud Pausaniam in Atticis. Hæc uidentur homines sapientissimi finxisse, ut significarent, Iudices debere discernere inter cædem dolo factam, & factã ex aliquo iusto dolore, uel probabili causa & interdum in aliquo casu legum seueritatem in pœna mitigandam esse. Itaq; huius moderationis seu ἐπιεικείας, Deos

auto-

autores fecerunt, ne uidelicet ipsi Iudices uiderentur temerè à regibus discedere.

BARTHOL. LATOMVS.

Sed antequam) Refutatio præiudiciorum, ad constituendam firmam causæ probationem, nihil neque lege, neque à Senatu & Pompeio præiudicatum esse, quin hominem indemnatum aliquando interfici ius sit & maximè insidiatorẽ, & uersatur tota in thesi, quam antea probari oportet, quâm ad causam ueniatur. Nam si hominem indemnatum occidi nullo modo fas esset, non posset probari Clodius iure occisus, & sublata esset defensio. Itaque rectè locatur hæc quæstio ante causæ defensionem, quia soluuntur obiecta aduersariorum, & fundamentum defensionis constituitur, nam summa eius hoc syllogismo continetur, Insidiatorem indemnatum occidere fas est, Clodius insidias fecit Miloni, ergo iure occisus est. Prima propositio hac refutatione confirmatur. Secunda deinde (quæ minor uocatur) in narratione & confirmatione causæ probabitur, quibus confirmatis necesse erit conclusionem firmam esse: Negant intueri.) Propositio, & obiectio aduersarij. Inqua tandem) Vehementer cum interrogatione obiurgatoria ingreditur refutationem. M. Horatij) Argumentum ab exemplo. Primum iudicium) Sub Tullo Hostilio. Vide Liuium Lib. 1. ab urbe condita. An est quicquam) A more iudiciali argumentum, subest uis ab autoritate, & de facti qualitate quæritur: estq; locus à pronunciatis. Nisi uerò) A iudica[illegible], sed autoritate aliud exemplum adiungit, & est ironia. T. Gracchi.) Hic à P. Scipione Nasica interfectus est, [illegible] latas seditiosas leges agrarias. Nec enim) Ab exemplis subiungit ætiologiam, & plura colligit exempla.

Itaque hoc, Iudices, non sine causa fictis fabulis doctißimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris

patris ulciscendi causa matrem necauisset, uariatis hominum sententijs, nõ solùm diuina, sed etiam deæ sapientißimæ sententia liberatũ. Quòd si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem, si se telo defenderit interfici impunè uoluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cùm uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi (quæ multa sunt) certè illud est non modo iustum, uerumetiam necessarium, cum ui uis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in excercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris interfectus ab eo est cui uim adferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille uir summus scelere solutum periculo liberauit. Insidiatori uerò & latroni quæ potest adferri iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladij uolũt? quos habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret.

cap: 33 Dialect

BARTHOL. LATOMVS.

Itaque hoc) ab exemplo fabuloso Orestis, quod recte tamen hic accommodatur. Liberatum) absolutum. Deæ sapientiss.) uel Iphigeniæ in Taurica regione, uel ipsius Dianæ. illa enim interpretatur Dianæ oracula, utroque ergo modo exponi potest. Quod si) à lege, per similitudinem uel ratiocinationem.

Quis eſt qui) Exponit & coucludit argumentationem eadem periodo . Puniendum putet) ſcilicet indicta cauſſa, quaſi iam lege prædemnatum . Cum uidear) Repetit argumentum per ętiologiam. Forrigi) poteſtatem fieri, permitti ut occidamus: elegans metaphora . Atqui) Aſſumptio argumentationis . Tempus) Cauſſa quæ ex tempore naſcitur . Pudicitiam Priuſquam concludat argumentationem, confirmat aſſumptionem, & addit exemplum ex autoritate C. Marii. Facere enim) ætiologia per epiphonema. Atque hũc) Accommodat exemplum. Inſidiatori uerò) Complexio ad minori dupliciter autem tractatur argumentatio . abſolutiuè, & conformatiuè. Quid comitatus) Confirmatio ex deſtinatis, ſeu ex fine, ut alij uocant. Ex deſtinatis ad finem. Si finis tollitur, tollitur & deſtinatum.

Est enim hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi uita noſtra in aliquas inſidias ſi in uim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari iubent cùm ei qui expectare uelit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Ergo ſui perſapienter & quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendẽdi: quæ non modo hominem occidi, ſed eſſe cùm telo hominis occidendi cauſſa uetat: ut cùm cauſſa non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſſa telo eſſet uſus, non hominis occidendi cauſſa habuiſſe telum

iudi-

iudicaretur. Quapropter hoc maneat in cauſſa iu-
dices, non enim dubito quin probaturus ſim uobis
defenſionem meam, ſi id memineritis, quod oliuiſci
non poteſtis, inſidiatorem iure interfici poſſe. Se-
quitur illud, quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dici-
tur, cædem qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum iudi-
caſſe contra Rempub. eſſe factam. Illam uerò Sena-
tus non ſententijs ſuis ſolùm, ſed etiam ſtudijs com-
probauit. Quoties enim eſt illa cauſſa à nobis acta
in Senatu? quibus aſſenſionibus uniuerſi ordinis? q
nec tacitis nec occultis? Quando enim frequentiſſi-
mo Senatu quatuor, ad ſummum quinq; ſunt inuen-
ti, qui Milonis cauſſam non probarent? Declarant
huius ambuſti Trib. Pleb. illæ intermortuæ concio-
nes, quibus quotidie meam potentiam iuuidioſe cri-
minabatur, cùm diceret Senatum nõ quod ſentiret,
ſed quod ego uellem, re decernere. Quæ quidem ſi
potentia eſt appellanda potius, quàm propter ma-
gna in Rempub. merita, mediocris in bonis cauſſis
autoritas, aut propter officioſos labores meos non-
nulla apud bonos gratia, appelletur. ita ſanè, dum-
modo ea nos utamur pro ſalute bonorum contra
amentiam perditorum.

PHILIP. MELANCHTH.

Eſt ergo hæc iudices non, & cæt.) Concluſio, in qua
transfertur ratio ad locum communem ſeu genus,

scilicet ad legem naturæ. Sequitur illud, & cæt.) Duo præiudicia sequentia subobscura uidentur iis, qui non satis norunt formam Romanæ Reipublicæ. Ideo sciendum est, quando Senatusconsultum fiebat in hæc uerba, uideri illud esse contra Rempublicam. item ut uiderent Consules, ne quid Respubli. detrimenti caperet: hoc Senatusconsulto dabatur summa potestas Consulibus habendi delectus: armis opprimendi etiam sine iudicio eos, aduersus quos factum erat Senatusconsultum. In summa, simile quiddam erat proscriptioni, qualis nunc est, cum imperator aliquem principem proscribit. Cùm autem tale Senatusconsultum iam factum esset, certè prægrauabatur Milo. propemodum enim habebatur pro proscripto, ac reo læsæ maiestatis. Ideoque Pompeius conscripsit exercitum contra Milonem, & tamen acerbitatem huius Senatusconsulti ipse quoque nouo exemplo lenijt, scilicet quòd tulit, ut res cognosceretur ac iudicaretur. Sed tamen in hoc iudicio plus periculi fuit, quàm si ordinaria uia res fuisset cognita: sicut principibus hoc tempore minus periculi est in iudicijs ordinarijs, ubi ualent multæ exceptiones, negocij prorogationes, studia amicorum. Ita Milo in iudicio usitato multa habiturus erat commoda, quæ non habuit in hoc inusitato iudicio, nam & species illa proscriptionis prægrauabat eum. item quia præsidium contra eum conscriptum erat, amici eius minus audiebant pro eo niti. Hæ sunt causæ, quare Cicero toties reprehendit hanc nouam quæstionem constitutam. Nam noua quæstio complectitur hæc duo, uidelicet & Seuatusconsul. illud atrox, quo Milo habebatur propemodum læsæ maiestatis reus: & hoc extraordinarium iudicium, quo etsi leniebat Senatusconsulti atrocitas, tamen plurimum habuit periculi. & probabile est Milonem in iudicio ordinario seruari potuisse. Reprehendit autem iure Cicero Pompeium collectis multis exemplis, quibus ostendit, nihil simile fuisse decretum interfectis clarissimis uiris Scipione, Druso, & alijs: sed

Sena-

Senatum reieciſſe ea negocia ad ordinaria & uſitata iudicia: & commemorat Cicero Senatum principio in cauſa Milonis nihil noui uoluiſſe decernere: & tamen poſtea aliquanto durius Senatuſconſultum factum eſt opera factionis Clodianæ. Quanquam id quoque mitigat Cicero, ut poſtea dicam, & oſtendit mollius fuiſſe ea lege, quam poſtea tulit Pompeius: ideo duo ſunt præiudicia, alterum Senatus, alterũ Pompei durius.

BARTHOL. LATOMVS.

Eſt enim) Confirmat à natura, eſtq; firma argumentatio. Accepimus) à legislatoribus. Expreſſimus) ipſi ſcilicet, factis noſtris. ſuntq; ornata antitheta, Imbuti) natura ipſa. Silent enim) Aetiologia eſt, & approbatio ſententiæ eius, quam de natura propoſuit. Silent) quieſcunt, uim nullam habent inter arma: ſiue negliguntur, audax metaphora. Etſi perſapienter) Ab interpretatione legis, redit enim ad leges XII. tabularum. Etſi) Per correctionem. Cum telo.) Feſtiua repetitio in uerbis, Antitheſis legem interpretatur. Quapropter) Concluſio generalis. Maneat) tanquam fundamentum defenſionis. Si id) nempe legis Corneliæ. Sequitur illud) Tranſit ad S. Conſult. idq; erat ſecundum præiudicium aduerſariorum quod interpretatione auertit à cauſſa, & in contrarium torquet. Oſtendit enim & ab inuito Senatu factum eſſe, & quamuis factum ſit, tamen nihil obeſſe Miloni. Illam uerò) Argumentum à ſuo & iudicum teſtimonio de uoluntate & ſtudijs Senatus pro Milone. Quoties enim) Confirmat, & teſtes facit ipſos Iudices. Quoties) nempe poſt interfectum Clodium. nam 100. dies penè interceſſerunt. Quatuor) inter quos etiam erat Q. Fuſius, de quo in Philippicis. Milonis cauſſam) ab aduerſarij teſtimonio. Declarant) à ſigno probat. Ambuſti Tribuni. T. Numatium Plancum Intelligit. Is autem & C. Saluſtius, & Q. Pompe-

ius Ruffus eodem die quo corpus Clodij crematum fuit in Curia, item pridie quàm iudicium haberetur de Milone, atque interim sæpè concionati fuerant, & incitarant populum in Milonem. Ambustum appellat ridicule, & per contumeliam, quòd incensa curia ex rogo Clodiano uix incendium effugerit. Intermortuæ) ideſt, inanes: q̃ tunc uiguerint recenti morte P. Clodij, sed prorsus iam exoleuerint, & abolitæ sint. Quæ quidem) Obiter hic remouet inuidiam breui interposita defensione, quam fecit per concessionem. Mediocris) Nam inde autoritas conciliatur, & est à proprio ex efficientibus argumentum. Aut propter.) Ad remouendam offensionem pertinaciæ utitur dubitatione. Officiosos lab. Multis enim suam operam Cicero præstabat, & defendebat, tum priuatim consilijs dandis, tum etiam publicè. Appelletur) Ironica concessio. Dummodo) Ex abundanti adiungit, quod permittat esse potentiam, quam & ipse uult probare, quum honesta sit. Perditorum) Clodianorum.

Hanc uerò quæstionem, etsi non est iniqua, nunquam tamen Senatus constituendam putauit. Erant enim leges, erant quæstiones uel de cæde, uel de ui: nec tantũ mœrorem ac luctum Senatui mors Pub. Clodij adferebat, ut noua quæstio constitueretur. Cuius enim Senatui de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas esset erepta, de eius interitu qs potest credere Senatum iudicium nouum cõstituendum putasse? Cur igitur incendium Curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra Rempubli. Senatus factam esse decreuit? Quia nulla uis unquam est in libera ciuitate suscepta, inter

per ciues non contra Rempub. Nõ enim est ulla defensio contra uim unquam optanda, sed nonnunquã est necessaria. Nisi uerò aut ille dies quo T. Gracchus est cæsus, aut ille quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si è Repub. Rempubli. tamen non uulnerarunt. Itaque ego ipse decreui, cùm cædem in Appia factam esse cõstaret: non eum qui se defendisset contra Rempub. fecisse, sed cùm inesset in re uis & insidiæ, crimen iudicio reseruaui, rem notaui. Quid si per furiosum illum Tribunum, Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, nouam quæstionem nunc nullam haberemus: decernebat enim, ut ueteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. Diuisa sententia est, postulante nescio quo (nihil enim necesse est omnium flagitia proferre) sic reliqua autoritas Senatus empta intercessione sublata est.

PHILIP. MELANCHTH.

Cur igitur incendium, &c.) Senatusconsultum mitigatur tripliciter. Primùm quod fuerit generale complectens utranque partem, quare non poterat uideri Milo proprie damnatus. Secundo, quòd diserte addiderit de usitatis iudicijs. Multa autem commoda habiturus erat Milo in iudicijs ordinarijs) Tertio, quòd ad extremum nihil communi consensu Senatus decretum sit, propterea quòd cum Tribunus intercessisset, Senatui erepta est facultas aliquid decernendi. Nulla uis unquam.) Generalis Responsio est, quæ interpretatur & mitigat Senatusconsult. Sem-

per, inquit, exemplum est malum, etiam si interdum in aliquo casu habet autor cædis excusationem: ut cum Nasica priuatus occidit Tyberium, exemplum certè minime erat probabile, & tamen aliquam excusationem Nasica habuit. Recte igitur Senatus facit, quòd in exemplo periculoso quæstionem constituit: quia periculosa exempla non sunt negligenda. Et tamen constituta quæstione prudenter reliquit Senatus Miloni legitimam defensionem. Diuidere sententias) Diuidere sententiam est, cùm in sententia multæ partes sunt, nominatim ac diserte de singulis decernere. Cùm igitur aliquis postulasset, ut Senatores dicerent quid proprie de Milonis facto iudicarent, & alij condemnarent Milonem, alij dicerent sententias mitiores: cùm non conueniret, Tribunus Fusius intercessit. Sic interpretatur Asconius hanc figuram, diuidere sententias. Alij putant esse idem quod numerare suffragia, cum uidelicet multæ ac diuersæ sententiæ dictæ sunt. Id nihil facit ad hunc Ciceronis locum.

BARTHOL. LATOMVS.

Hanc uerò) Epiphonema quo & criminationem à se remouet, & simul obiectioni occurrit, & ad institutum reuertitur. Quæstionem) iudicium. Fuerunt autem Iudices extraordinarij electi. Erant enim leges) Subiungit confirmationem à superuacuo, & Clodij persona locus à causa finali. Quæstiones) iudicia. Cuius enim) Aetiologia præcedentis dicti & iudicium intelligit quod factum fuit in P. Clodium ob pollutas cæremonias Bonæ Deæ, ex quo pecunia corruptis iudicibus reus euaserat. id iudicium Senatus ne corrumpi posset, decernere conabatur, sed fuit ab amicis Clodij impeditus. Erepta) per Q. Fusium. Ordo est: De cuius enim incesto stupro senatui potestas esset erepta decernendi iudicium. Cur igitur) Occurrit obiectioni, & profert causam Senatusconsulti, sententiam q eius interpretatur. Lepidi) scilicet interregis. Quia nulla) Reddit causam, cur Senatus

natus hoc decretum fecerit, quamuis inuitus: & Senatusconsultum probat. Nisi uerò) Confirmat exemplis, docetq; nunquam certamen inter ciues susceptum esse, quin Respub. semper sit læsa, & est ironia. Oppressa) à C. Mario. Itaque ego) à sua sententia. In re) in ipso congressu & certamine. Notaui) condemnaui. Quod si) Occupatio. Redit autem ad uoluntatem Senatus, & docet per intercessionem Tribunorum auctoritatem eius sublatam fuisse. Furiosum) Numitium Plancum intelligit. Extra ordinem) extra causam, in qua ordo sortis ducebatur.

Diuisa sententia) Diuisionem sententiæ Q. Fusius senator postulauerat. Numatius & Salustius Tribuni plebis interceserant Senatui, ne aliud ageretur quam erat postulatum nam hic mos erat in sententiis diuidendis. Diuidere sententiam erat, de singulis rebus quæ in ea continebantur, referre, ut una absque alia probari uel improbari posset, ut quæri de ueteribus legibus, & extra ordinem quæri. Qui mos fuerit diuidendæ sententiæ, refertur ab Asconio: qui tamen locus corruptus est, ut certi aliquid inde peti nequeat. Nescio quo) Contemptim hoc. neque enim ignorabat Orator, & Fusium senatorem intelligit.

Empta) id est, corrupta. & significat Salustium & illum fuisse comparatos pecunia, ut intercederent: alij legunt Inempta. Itemq; alij inepta.

At enim Cn. Pompeius rogatione sua & de re & de causa iudicauit, tulit enim de cæde, quæ in Appia uia facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempè ut quæreretur. Quid porrò quærendum est? factum'ne sit? at constat. A quo? at patet. Vidit etiam in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi uidisset posse absolui eum qui fateretur, cum uideret nos fa

teri, neque quæri unquam iußisset, nec uobis tam sa
lutarem hanc in iudicando literam, quàm illam tri-
stem dedisset. Mihi uerò Cn. Pompeius non modo ni-
hil grauius contra Milonem iudicasse, sed etiam sta-
tuisse uidetur, quid uos in iudicando spectare opor-
teret. Nam qui non pœnam confessioni, sed defensio-
nem dedit, is causam interitus quærendam, non inte-
xitum putauït. Iam illud dicet ipse profecto, quod
sua sponte fecit, P. ne Clodio tribuendum putet, an
tempori? Domi suæ nobilissimus uir, Senatus pro-
pugnator, atque illis quidem temporibus penè pa-
tronus, auunculus huius nostri iudicis fortissimi uiri
Catonis, Trib. plebis M. Drusus occisus est: nihil
de eius morte populus consultus, nulla quæstio de-
creta à Senatu est. Quantum luctum in hac urbe
fuisse à nostris patribus accepimus, cum P. Aphri-
cano domi suæ quiescenti illa nocturna uis esset illa-
ta? quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quẽ
immortalem, si fieri posset omnes esse cuperent, eius
ne necessariam quidem expectatam esse mortem?
Num igitur ulla quæstio de Aphricani morte lata
est? certè nulla. Quid ita? quia non alio facinore
clari homines, alio obscuri necantur. Interfit inter
uitæ dignitatem summorum atq; infimorum: mors
quidem illata per scelus, ijsdem pœnis teneatur &
legibus nisi forte magis erit parricida, si quis con-
sula-

ſularem patrem, quàm ſi quis humilem necauerit.

PHILIP. MELANCHTH.

At enim Cn. Pompeius) Cum magni in urbe tumultus eſſent & de cæde Clodij, & de comitijs, creatus eſt Conſul pompeius ſine collega. Et quia in Senatu non conuenerat de cauſa Milonis, Conſul rem ad ſe reuocauit, & legem tulit, in qua nominatim propoſuit, ſe quæſiturum eſſe de cæde Clodij. Hæc uerò lex magis prægrauabat Milonem, quia talis iniquiſitio ſolebat eſſe executio quædam re iam damnata, ac propemodum ſimilis erat proſcriptioni, qualis eſt noſtris temporibus. Sed Cicero mitigat legem, dicit hanc inquiſitionem non ſtatim executionem eſſe, præſertim eum ipſe Pompeius nouo exemplo poteſtatem facit Miloni dicendæ cauſæ. Hæc etſi deflexit ita Cicero ad ſuam partem, tamen re ipſa ſentit prægrauari Milonem, & ſuccenſet Pompeio, quaſi hoc præiudicio damnet Milonem. & certè uſitata iudicia ei ademit. ideò ſequitur longa in eam ſententiam querela, in qua colligit multa exempla, quibus probat hoc negocium ad uſitata iudicia reijciendum fuiſſe, in quibus (ut dixi) multo minus periculi habiturus erat Milo, quam in hac noua forma iudicij. Iam illud dicet, & cæt. Querela de noua quæſtione conſtituta. Domi ſuæ nobiliſſimus.) Exempla quibus probat non fuiſſe nouam quæſtionem conſtituendam de facto, ſed rem reijciendam fuiſſe ad uſitata iudicia.

BARTHOL. LATOMVS.

At enim.) Tertia pars contra rogationem Pompeij, quam ipſam quoque interpretatur. De re) de cæde, res enim genus eſt, cauſa ſpecies, id eſt, & de cæde, & nominatim de cæde Clodij. Quid ergo) Reſpondet Cicer. eſtq; ueluti imago altercationis, qua & inſtantius refert, & ipſo ſtrepitu excitat auditorem. Quæreretur) id eſt, ut iudicium haberetur. Quid porrò) iubeſt uis repugnantiæ, ſignificat enim nondum

dum Milonem condemnatum esse. Factum ne) Subest argumentatio ex diuisione seu remotione, quæ latius patet quàm appareat. Vidit etiam) Interpretatur rogationem Pompeij ex ipsis uerbis, & argumenta uoluntatis cum ex facto ipso, tum ex Clodij persona colligit. In confessione) Cum reus fateretur se feciſſe. Quod nisi uidisset) Confirmat sententiam & uoluntatem Pompei rogationis à signo, siue ex adiunctis. Tam salutarem) Tabulam absolutoriam significat. nam erant tres tabulæ iudiciariæ, siue una potius, quæ qualibet una trium literarum notabatur, nempe A. C. & N. L. quarum prima Absolutionem, secunda Condemnationem, tertia Non liquere significat, ut cùm ampliabatur reus, hoc est, causa proferebatur in aliud iudicium, quo melius cognosceretur. Mihi uerò) Epiphonema, quo altius insurgendo sententiam concludit. Nam qui) Aetiologia ex consequentibus, secundum Fabium: sed re uera tum ex adiunctis, tum ex remotione: declarat autem quid spectandum sit in enthymemate. uide Rodolphum Agricolam. Iam illud) Occupatio, cur Pompeius rogationem tulerit, ut inde & perspiciatur uoluntas rogationis, & suspicio offensionis Pompeij propter mortem Clodij detrahatur. Domi suæ) Exempla à maiori. Mar. Drusus. M. Liuius Drusus cùm legem ferret, qua sociis atque Italicis populis ciuitatem dabat, reuersus domum circumfusa multitudine in atrio domus suæ ab incerto autore interfectus fuit, cultro sutorio in femore eius relicto. Vide Appianum libro primo de bello ciuili. Quantum luctum) Amplificatio ab Aphricani minoris persona. Is autem cùm aduersaretur C. Graccho, Cn. Fuluio, & Cn. Craboni, triumuiris agros diuidere conantibus, seq; domum fortis & ualidus pridie è Senatu recepisset, mane in cubiculo mortuus inuentus est. idem Appianus. Quæstio) iudicium. Nec interfit) Occupatione rem declarat, & loquitur ex Stoicorum sententia. Nisi fortè) Confirmat exemplo, eandem culpam esse cædis, siue à claro, siue ob-

scuro

curo homine sit facta, estq; ironica antithesis.

At eò mors atrocior erit P. Clodij, quòd is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Hoc enim sæpè ab istis dicitur: perinde quasi Appius ille Cæcus uiam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impunè sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia uia cum ornatissimum equitem Romanum M. Papyrium occidisset, non fuit illud facinus puniendum. Homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc eiusdem Appiæ nomen quantas tragœdias, excitat? quæ cruentata anteà cæde honesti, atque innocentis uiri silebatur, eadem nunc crebrò usurpatur, posteaquã latronis & parricidæ sanguine imbuta est. Sed quid ego illa commemoro? Comprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompeius, caruit Senatu, caret publico: ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumq; texit. Num quæ rogatio lata? num quæ noua quæstio decreta est? Atqui si res, si uir, si tempus ullum dignum fuit, certè hæc in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in uestibulo ipso Senatus: ei uiro autem mors parabatur, cuius in uita nitebatur salus ciuitatis: eo porrò Reipub. tempore, quo

si unus

M. T. CICER.

si unus ille occidisset, non hæc solùm ciuitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi fortè, quia perfecta res non est, non fuit punienda perinde quasi exitus rerum non hominum consilia legibus uindicẽtur. Minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certè nihilominus.

BARTHOL. LATOMVS.

At eò mors) Contra aduersariorum obiectionem exaggeratio, quam obiter refutat per digressionem. Hoc enim sæpè) Inuidiam cædis in Appia, indignitate Papinianæ necis dissoluit, adfectum contrario adfectu discutiens: ac proinde commodè persequitur insectationem uitæ Clodij, ut probet quod institutum est, Pompeium Clodij caussa rogationem non tulisse. Perinde quasi) Irridet obiectionem. Munierit) statuerit saxo. Itaque) Perpetua ironia est. Nunc eiusdem) Hactenus usus est ironia, nunc uerò recta utitur oratione. habet autem locus hic indignationem cum contentione. Sed quid) Correctione continuat ordinem exemplorum, & periculum Pompei profert cum amplificatione. Sica) occultum telum, amplificatio. Caruit) Antithesis. Atqui si res) Exaggerat à tempore. Si uir) Congeries. Insidiator) Expolitio. Cuius in uita) Explanat amplificando ab indignitate & insidijs Clodianorum. pendet autem locus ex historia. Collocatus) In templo Castoris. Nisi fortè) Occurrit defensioni, & irridet. Vindicentur) puniantur. Minus dolendum) Epiphonema, quo concludit, & quid faciendum illis temporibus fuerit cum Clodio, ostendit.

Quoties ipse, Iudices, ex P. Clodij telis, & cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non mea,

uel

uel Reipub fortuna seruasset, quis tandem de inte-
ritu meo quæstionem tulisset? Sed stulti sumus, qui
Drusium, qui Aphricanum, Pompeium, nosmetipsos
cum P. Clodio conferre audeamus. Tolleratilia fue-
runt illa: P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre
potest: luget Senatus, mœret Equester ordo, tota ci-
uitas confecta senio est: squalent municipia, adfli-
ctantur coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum,
tam salutarem, tam mansuetum ciuem desiderant.
Non fuit ea caussa, Iudices, non fuit, cur sibi cense-
ret Pompeius quæstionem ferendam: sed homo sapi-
ens, & alta quadam mente præditus, multa uidit:
fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem: in
communi omnium lætitia si etiam ipse gauderet, ti-
muit ne uideretur infirmior fides reconciliatæ gra-
tiæ. Multa etiam alia uidit: sed illud maximè, quam
uis atrociter ipse tulisset, uos tamen fortiter iudica-
turos. Itaque delegit è florentissimis ordinibus ipsa
lumina. Neque uerò, quod nonnulli dictitant, secre-
uit in iudicibus legendis amicos meos, neque enim
hoc cogitauit uir iustissimus, neque in bonis uiris le-
gendis id assequi potuisset, etiam si cupisset. Non
enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ
latè patere non possunt, propterea quòd consuetu-
dines uictus non possunt esse cum multis: sed si quid
possumus, ex eo possumus, quod Respub. nos coniun-

xit cum multis, ex quibus ille cùm optimos uiros legeret, idq; maximè ad fidem suã pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei. Quòd uerò te L. Domiti huic quæstioni præesse maximè uoluit, nihil quæsiuit aliud, nisi iusticiam, grauitatẽ, humanitatem, fidem. Tulit ut Consularem necesse esset credo, quòd principum munus esse ducebat, resistere & leuitati multitudinis, & perditorũ temeritati. Ex Consularibus te creauit potissimùm: dederas enim, quàm contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima.

PHILIP. MELANCTH.

Non fuit ea causa, & cæt.) Excusat Pompeium.

BARTHOL. LATOMVS.

Quoties ipse) à sui exemplo. Sed stulti (Correctio, quasi ex prædictorum pœnitentia, per ironiam **Nosmetipsos)** seipsum intelligit. Tolerabilia (Explanat quod dixit & omnia in contrarium intelligenda sunt. **Senio)** mœrore, tristicia. **Squalent)** lugent. **Agri denique)** Metonymia. **Non fuit)** Exclamatione concludit, & redit ad ueram causam rogationis Pompei: nempe illum non Pub. Clodii gratia, quod hactenus probatum est, sed temporis causa rogationem tulisse. Idque confirmat ex prudentia Pompei, & metu existimationis de illo erga Clodium: item à tuto, quod à signo confirmat. **Sed homo)** antithesis à Pompei sapientia **Quæstionem)** rogationem de iudicio faciendo, & de cæde Clodii. **Multa etiam)** Hæc altera causa, cur rogationem tulerit. **Atrociter)** se-

uere,

uere. Fortiter) constanter. Itaque delegit) Rem uerisimilem facit à signo. Ipsa lumina) id est omnium clarissimos & præstantissimos uiros. Neque uerò) Occupat ac reprehendit obiter quod inuidiosè aduersarij obijciebant de Pompeio, à difficili : & â sua persona remouet. Non enim) Declarat. Familiaritatibus) quæ sunt interiores amicitiæ, & tanquam domesticæ. Sed) antithesis. Possumus) gratia. Non potuit) Argumentum ex totò. Quod uerò) Bona occasione infert laudem quæsitoris, ad beneuolentiæ conciliationem. Consularem) scilicet esse quæsitorem, hoc est, qui Consulatum gessisset. Credo) Subiungit causam. Perditorum) Clodianos intelligit. Dederas enim) Cn. Manlius Tribunus pleb. legem per seditionem ferebat, ut libertini in omnibus tribubus suffragium ferrent Cumq; Capitolium per uim occupasset, à Cn. Domitio prætore deiectus fuit, multis Manlianorum interfectis.

Quamobrem, Iudices, ut aliquando ad causam crimenq; ueniamus: si neque omnis cõfessio facti est inusitata, neque de causa quicquam nostra aliter, ac nos uellemus, à Senatu iudicatum est, & lator ipse legis, cùm esset controuersia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse uoluit: & electi Iudices, & isti præpositus quæstioni, qui hæc iustè sapienterq; disceptet: reliquum est Iudices, ut nihil iam aliud quærere debeatis: nisi uter utri insidias fecerit: q, quò facilius argumentis perspicere possitis, rem gestã uobis dum breuiter expono, quæso diligẽter attendite. P. Clodius cùm statuisset omni scelere in Prætura uexare Rempubli. uideretq; ita tracta esse comitia

anno superiore, ut non multos menses Præturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut cæteri, sed & L. Paulum Collegam effugere uellet singulari uirtute ciuem, & annum integrum ad dilacerandam Rempub. quæreret: subitò reliquit annum suum, seq; in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad Præturam gerendam, hoc est ad euertendã Rempubli. plenum annum atque integrum, occurrebat mancam ac debilem Præturam suam futuram Cõs. Milone. Eum porrò summo consensu populi Romani Consulem fieri uidebat. contulit se ad eius competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam inuitis illis gubernaret: tota ut comitia suis, ut dictabat, humeris sustineret conuocabat tribus, se interponebat, coloniam nouam, delectum perditissimorum scribebat ciuium. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis indies conualescebat. Vbi uidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum uirum, inimicissimum suum, certissimum Consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragijs populi Romani sæpè esse declaratum, palam agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem. Seruos agrestes & Barbaros, quibus syluas publicas depopulatus erat. Hetruriamq; uexarat ex Apennino deduxerat, quos uidebatis; res erat minimè

vimè obſcura. Etenim palam dicitabat. Conſulatum Miloni eripi non poſſe, uitam poſſe. Significauit hoc ſæpè in Senatu: dixit in concione. quin etiam Fauonio fortiſſimo uiro quærenti ex eo, qua ſpe fureret Milone uiuo: reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo perituru m. Quam uocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.

PHILIP. MELANCHTH.

Quamobrem Iudices) Tranſitio eſt, in qua refutatis prę iudicijs Cicero defenſionem incipit, & proponit quæſtionem propriam huius iudicij, uidelicet quærendum eſſe, uter fecerit inſidias: id enim erit κρινόμενον

Propoſita hac quæſtione principali, inſtituit facti narrationem, in qua prudẽtiſſimè ſpargit ſemina totius defenſionis, uidelicet conſilia utriuſq; perſonæ, & occaſiones eorum quæ acciderunt.

BARTHOL. LATOMVS.

Quamobrem Iudices) Concluſio generalis, cum repetitione capitum totius actionis. Diſceptet) iudicium exerceat. P. Clodius) Hæc tertia orationis pars eſt, quæ propriè ad cauſſam pertinet, & continet rei narrationem, ac conſilij. Confirmat autem tanta commoditate orationis, ut palam oſtendat Clodium inſidiatorem fuiſſe, non Milonem. In prætura uexare) M. Craſſo & Cn. Pompeio Coss. qui fuit proximus annus poſt ædilitatem P. Clodij, quo iam petendæ prætura e iis habebat. Tracta) dilata. Foſſet) ſcilicet anno priore. Cæteri) boni ciues. ad odium autem & inuidiam Clodij hæc pertinent. Ad dilacerandam Rempublicam) uexandam. Annum ſuum) Annus ſuus uocabatur, quo quis honorem petere ex

lege poterat, ut præturam post ædilitatem, post prætu-
ram consulatum. Ostendit autem studium Clodij ad
integrum annum obtinendum, item conatus ad impe-
diendum consulatum Milonis. Non religione) Rur-
sus hoc ad inuidiam accommodat. Religione) numi-
nis metu. Consule Milone) quia maius est consulis
imperium, quàm prætoris. Competitores) Scipionem
& Hipseum. Petitionem) petendi rationem. Hume-
ris) ut Atlas cœlum, eò enim alludit. Scribebat) col-
ligebat, nempe ad suffragandum competitoribus Mi-
lonis, spe coloniæ promissæ. Eam quippe coloniam
nouam significare uidetur, quam Clodius dicturus
fuerat, si prætor factus fuisset. Ille) Clodius. Hic)
Milo. Conualescebat) plus ualebat studio bonorum.
Suffragijs) Quia sæpe comitia erant tentata, sed nun-
quam perfici dotuerant. Seruos agrestes) Hactenus
caussam explicauit: iam addit suspicionem: & obiter
uituperat, argumento ex dictis & factis Clodij ad in-
sidias spectantibus, & ex destinatis. Res erat) Bre-
uiter argumentatur interiecta narratione. Quam uo-
cem) Et hæc argumentatio est ex testimonio Cato-
nis.

*Interim cũ sciret Clodius (neque enim erat dif-
ficile scire) iter solenne, legitimum, necessariũ, ante
diem xiij. Calend. Februarij Miloni esse Lanuui-
um ad Flaminem prodeundũ, quòd erat dictator La-
nuuij Milo: Roma subitò ipse profectus pridie est,
ut ante fundum suum (quod re intellectum est) Mi-
loni insidias collocaret: atque ita profectus est, ut
concionem turbulentam, in qua eius furor desidera-
tus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret: quã,
nisi obire facinoris locum tempusq; noluisset, nun-
quam*

quam reliquisset. Milo autem cum in Senatu fuisset eo die quoad Senatus dimissus est, domum uenit, calceos & uestimenta mutauit: paulisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cũ iam Clodius (si quidem eo die Romam uenturus erat) redire potuisset. Obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus (ut solebat) sine uxore, quod nunquam ferè: cùm hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore ueheretur in rheda penulatus, uulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu, fit obuiam Clodio ante fundum eius horâ ferè undecimâ, aut non multò secus. Statim complures cum telis in hunc faciũt de loco superiore impetum: aduersi rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda reiecta penula desiluisset, seq; acri animo defenderet: illi qui erant cum Clodio, gladijs eductis partim recurrẽre ad rhedam, ut à tergo Milonem adorirẽtur: partim, quòd hunc iam interfectum putarent, cædere incipiunt eius seruos, qui pòst erant. Ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præsentes fuerunt, partim occisi sunt: partim cùm ad rhedam pugnari uiderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonem quem occisum esse etiam ex ipso Clodio audi-

rent, & ita esse putarent, fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis caussa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset.

PHILIP. MELANCHT.

Insidiator superatus &c.) Minor principalis, continens summam controuersiæ, & totius status. Sin hoc & ratio, & cæt.) Ex narratione colligit in epiphonemate summam facti, de qua præcipuè dimicatur in hac controuersia, & quæ est minor principalis syllogismi: ideo nunc inchoat confirmationem, attexens maiorem, atque ita complectitur summam probationem. Verum quia minor syllogismi sit κρινόμενον, ideo repetitur illa propositio. Milo non fecit insidias, sed Clodius. Hæc propositio cùm ad statum coniecturalem pertineat, argumenta ducuntur ex locis eius status, uidelicet à uoluntate & facultate. Locus uoluntatis uocatur Impulsio, cum à spe, commodis, item aliis adfectibus impellentibus & hortantibus ad facinus argumentamur. Ac primum argumentum ducitur à spe, quod includemus in syllogismum, etsi Cicero ipse non admodum à forma syllogismi discedit: & quanquam paulò liberior est oratio, tamen agnosci membra facilè possunt. Verisimile est fecisse insidias eum, cui præcipuè bono fuit: Clodio magis opus fuit Milonem è medio tolli, quàm Miloni perire Clodium. Ideo uerisimilius est Clodium fecisse insidias. Minorem probat collatione, quia Clodius ea parabat, quæ uiuo Milone uidit nullo modo perfici posse. E contra. Miloni studebant boni, ob hanc caussam præcipuè, ut Clodium reprimeret: ergo extincto Clodio metuendum ei fuit, ne suffragatores minus firmos habiturus esset.

BAR

BARTHOL. LATOMVS.

Interim) Venit ad locum & occasionem pugnæ. Cum sciret) Suspiciones à præscientia & tempore professionis Milonianæ. Legitimum) lege constitutum. Vt ante) Hoc suspicionem auget. Re) euentu pugnæ. Atque ita) Argumentum uoluntatis à tempore. Concionem) quam habuit Q. Pompeius. Milo autem) Mirè exprimit simplicitatem Milonis otiosè agentis omnia', nec quicquam solicitè cogitantis. Quintilianus locum hunc præcipuè commendat. Remouet enim omnem suspicionem à persona Milonis. Quoad Senatus) Extenuatio apparatus, & tempus itineris Milonis. Comparat) Dum comuntur & moliuntur, annus est. Redire potuisset) Ex repugnantibus. Obuiam fit) Habitus itineris & comitatus Clodij. Facit autem omnia suspiciosa in Clodio, in Milone omnia simplicia, estq; hic totius orationis scopus. Cum hic) Ironia: & confert singula. In Rheda) Iter & comitatus Milonis. Fit obuiam) Locus insidiarum & tempus. Rhedarium) aurigam. est autem eligans ὑποτύπωσιν commissæ pugnæ. Milonem'q;) Factum confessurus, rem temperat & præmollit.

Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, Iudices: insidiator superatus, ui uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est. nihil dico quid Respub. consecuta sit, nihil quid uos, nihil quid omnes boni: nihil sanè id profit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit, quin unà Rempub. uosq; seruaret. Si id iure non posset, nihil habeo quod defendam: Sin hoc & ratio doctis, & necessitas Barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper uim, quacunq; ope pos-

ſent, à corpore, à capite, à uita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbatum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut ueſtris ſententijs eſſe pereundum. Quod ſi ita putaſſet, certè optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, peque tum primum petitum, quàm iugulari à uobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet. Sin hoc nemo ueſtrum ita ſentit, illud in iudicium uenit, non occiſus, ne ſit, quod fatemur: ſed iure, an iniuria, quod multis antè in cauſsis iam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat, & id eſt quod Senatus contra Rempublicam factum iudicauit, ab utro factæ ſint, incertũ eſt, de hoc igitur latum eſt, ut quæreretur. Ita & Senatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit. Nunquid igitur aliud in iudicium uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? profectò nihil. ſi hic illi, ut ne ſit impunè: ſi ille huic, tum nos ſcelere ſoluamur. Quoniam igitur probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium: ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitã, magnas utilitates fuiſſe. Itaq; illud Caſsianum. Cui bono fuerit, in his perſonis ualeat: etſi boni nullo emolumento impellũtur in fraudem, improbi ſæpè paruo.

PHL

PHILIP. MELANCHTH.

Satis est quidem, & cæt.) Primum argumentum à loco uoluntatis, scilicet à spe commodorum. Magnam ei caussam, & cæt.) Minor. Etsi boni nullo, & cæt. Maior.

BARTHOL. LATOMVS.

Hæc sicut) Transiturus ad confirmationem, constituit statum caussæ: & simul renouat capita refutationis, ut plenum & firmum defensionis ordinem connectat. Est autem summa collectio narrationis, argumentis & adfectibus inflammata. Delibat enim partem defensionis, quam adiuncturus est coniecturæ, ἰδίῳ κατ' ἀπόφασιν, & Rhetoricam exceptionem, qua fiduciam ostendit in caussa: deinde repetit thesin ex lege, quam suprà in refutatione probauit. Insidiatorem iure interfici posse: ut eam coniungat cum sequenti confirmatione, qua crimen insidiarum probaturus est in Clodio. nam his duobus capitibus, ut suprà notatum est, summa defensionis continetur: atque hoc aditu facto, qui perutilis est ad demonstrandam hoc loco summam defensionis: deinceps eodem contextu subiungit propositionem caussæ, & mox confirmationem subnectit. Comparatio criminis ex abundanti additur coniecturæ insidiarum. Etiamsi non fuisset insidiator Clodius, tamen utile erat tolli é medio ciuem pernicioſum. Iam consideratur, fuerit ne utilius eum tolli, an perpetuò uexari Rempub. Vi) uirtute Milonis. Vel potius) Colligit, & facit contrarium aduersariis correctione. Nihil) Pergit constituere fundamentum & statum defensionis, estque ἀποφασις, oratoria. Qui hoc facto) Hoc ad commiserationem Milonis attinet simul & laudem. Si id iure) Renouat capita refutationis. Nihil habeo) Apertior exceptio. Sin hoc) thesis ex lege. Primam autem partem refutationis ob id repetit, ut sequenti con-

firmationi coniungat. A corpore) Amplificatio ex uerborum commutatione: alioqui satis erat uno uerbo dicere, A uita. Quin simul) Mirè figurat sententiam, ut pondus addat orationi, & est ex consequentib⁹. Quod si) πάθος à iudicum persona Formam autem hypotheticam sententiam. Quia se illi) Eleganter caussam addit. Sin hoc) Adiungit aduersatiuam sententiam, & simul uenit ad propositionem ex ἀντιθέσει. est igitur assumptio, siue propositio iudicationis per diuisionem seu disiunctionem, ut alii uocant. Insidias factas) Declaratio propositionis, in qua duo reliqua præiudicia repetit, & uim eorum ad diuisionem accommodat. Notauit) damnauit Quæstionem tulit) id est, legem de quæstione habenda, id est de iudicio. Nunquid igitur) Colligit summam propositionis qui continetur controuersia, & iterũ utitur exceptionis schemate, ad ostendendam fiduciam in caussa. Hic) Milo. Ille) Clodius. Quoniam igitur) Confirmatio coniecturalis à spe commodorum, quam mox uertit in ratiocinationem. Satis est) Ratio. Bellua) Odiosis uerbis indignitatem mouet, & rem amplificat. Itaque illud) Confirmat rationem ex sententia & autoritate L. Crassi iudicis seueriſſimi, quemadmodum tradit Asconius: unde eius etiam dictum citat. Etsi boni) Ratio sententiæ Cassii.

Atqui Milone interfecto, Clodius hoc adsequebatur, non modò ut Prætor esset non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam his consulibus Prætor esset, quibus si non adiuuantibus, at connitentibus, certè speraſſet se posse Rẽpub. eludere in illis suis cogitatis furoribus. Cuius illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec si cuperent, reprimere possent, cùm tantum beneficiũ ei se debere arbitrarentur.

tur: & si uellent, fortasse uix possent frangere hominis sceleratißimi corroboratam iam uetustate audaciam. An uerò, Iudices, uos soli ignoratis? uos hospites in hac urbe uersamini? uestræ peregrinantur aures? neq; in hoc peruagato ciuitatis sermone uersantur? quas ille leges (si leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, & pestes Reipub.) fuerit impositurus nobis omnibus, atque inusturus? Exhibe quæso Sexte Clodi, exhibe librariũ illud legum uestrarũ, quæd te aiunt eripuisse è domo: & ex medijs armis, turbaq; nocturna tanquam Palladium sustulisse, ut præclarum inde munus ac instrumentum Tribunatus ad aliquem si nactus esses qui tuo arbitrio Tribunatum gereret, deferre posses.

PHILIP. MELANCHTH.

Atqui Milone interfecto, & cæt.) Probatio minoris constans collatione.

BARTHOL. LATOMVS.

Atqui Milone) Assumptio cum amplificatione. Eo consule) Milone. Duo commoda: unum, ut Milo non esset consul: alterum, ut Cõss. essent quos ipse uolebat. Eludere) Verbo grauiore utitur ad inuidiam: ut mox Furoribus, pro consilijs. Conatus) Rem facit credibilem. Cum tantum) Subest hic complexio qua de spe P. Clodij confirmat quod dixit. Corroboratam) In singulis pene uerbis pondus argumenti ac uis est. An uerò) Exaggeratio à legibus Clodianis. Peregrinantur aures) id est, ignari estis.

Pere-

Peregrinari enim dicitur, qui non est domi: & peregrini plerunque rerum ignari sunt, quæ eo in loco ubi sunt geruntur. Versantur) Ad maiorem expolitionem, antithesin etiam adiungit. Vult enim rem certissimam esse, & omnibus notam. Si leges) Correctio ad augendam rei atrociratem, & simul facit paronomasiam inter leges & faces. Impositurus) Odiosum uerbum, tanquam ad seruitutem. Inusturus) ad faces referendum. Exhibe) Apostrophe ad Sex. Clodium scribam, qui P. Clodij adsecla fuerat. Librarium) id est, scrinium librorum, aliud est tablinum, nempe adfixum parietibus. Palladium) simulachrum Palladis. alludit autem ad historiam uel Aeneæ, uel Q. Metelli Pont. Max. qui id signum ex incendio ædis Vestæ sustulerat. Præclarum) ironia. Ad aliquem) id est, malum, ac seditiosum.

Et adspexit me quidem illis oculis, quibus tum solebat, cùm omnia omnibus minabatur. Mouet me quippe lumen curiæ. Quid? tu me iratum Sexte putas tibi, cuius tu inimicissimum multò crudelius etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ postulare? Tu P. Clodij cruentum cadauer eieciſti domo? tu in publicum eieciſti: tu spoliatũ imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, infœlicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti: quam rem etsi necessariò feciſti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsiſti tuã, laudare non possum, irasci certè non debeo. P. Clodij Præturam non sine maximo rerum nouarum motu proponi solitam esse uidebatis, nisi esset is Consul,

qui

qui eam auderet posset q; confringere, eum Milonẽ esse cùm sentiret uniuersus populus Romanus quis dubitaret suffragio suo, se metu, periculo Rempublicam liberare?

BARTHOL. LATOMVS.

Et adspexit) Digressiuncula ad insectationem Sex. Clodij, quæ eo amarior est, quia per ironiam figurata. Mouet) Irrisio. Lumen curiæ) Respuit ad incendium curiæ, cuius hic Sex. Clodius autor fuerat. Punitus es) id est, puniuisti. sicut enim assentio & assentior, ita punio & punior ueteres dicebant. Tu P. Clodij) Nunc serio loquitur. Cruentum) ex cæde. Tu in publicum) Congeries. Eiecisti) habet uim incluſam. eiicimus enim inuitos, expellimus contumelioſè & cum iniuria. Laudatione) scilicet funebri. In fœliciſſimis) scilicet quia non totum cremarunt. Lignis) fragmentis subſelliorum. Semiustulatum) ad maiorem contemptum ita loquitur. Nocturnis canibus) id est, qui in noctu uagantur, certasq; domus non habent. Necessario) id est, fato quodam & diuina ultione. P. Clodij, præturam) Redit ad argumentationem, quam conductam concludit. Is Consul) Milonem intelligit. Confringere) id est, obsistere conatibus. Eum Milonem) quasi assumptio est aut ratiocinatio noua, sed breuis.

At non P. Clodio mortuo usitatis iam rebus obnitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa huic uni concessa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clodij cecidit. Vos adepti estis, ne quem ciuẽ metueretis: hic exercitationem uirtutis, suffragationem

tionem Consulatus, fontem perennem gloriæ suæ perdidit. Itaque Milonis Consulatus, qui uiuo Clodio labefactari nõ poterat, mortuo denique tentari cœpius est. Non modò igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni. At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus. fuit ultor iniuriæ, punitor doloris sui. Quid? si hæc non dico maiora fuerunt in Clodio quã in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid uultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat ut odisset, primùm salutis meæ, deinde uexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremò etiam accusatorem suum, reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad uixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius? & in homine iniusto quàm etiam iustum? Reliquum est, ut iam illum natura ipsius, consuetudoq; defendat: hunc autem hæc eadem coarguant. Nihil per uim unquam Clodius, omnia per uim Milo. Quid ergo Iudices, cum mœrentibus uobis Vrbe cessi, non seruos, non arma, non uim intentauit?

PHILIP. MELANCHTH.

At non P. Clodio) Altera pars collationis. At ualuit odium & cæt.) Secundum argumentum. Clodius magis odit Milonem, igitur credibile est Clodium Milon

Miloni feciſſe inſidias. Reliquum eſt ut iam illum) Tertium argumentum à natura & perpetuis moribus Clodij: Credibile eſt eum potius conſilium cædis faciendæ habuiſſe, qui ſemper multa ſeditioſè & crudeliter fecit. Clodius ſemper fuit & crudelis, & ſeditioſus. Milo Clodium ne quidem cùm glorioſe poſſet, occidere uoluit. Igitur ueriſimilius eſt Clodium feciſſe inſidias. Longa eſt narratio factorum utriuſque, quæ ad minorem pertinet. Addita eſt amplificatio ex minore: Si Milo tunc non uoluit cum periculo occidere? & præcipuè exaggeratur tempus comitiorum. Quid ergo iudices, &c.) Narratio utriuſq; factorum.

BARTHOL. LATOMVS.

At non P. Clodio.) Occupatio per ironiam, quæ remouet ſpem commodi à Milone. nam argumenta inter ſe comparantur, quia duplex eſt coniectura, uter utri inſidias fecerit. Obnitendum eſt) id eſt, cernendum, laborandum, eſtq; εἰρωνία: Singularis illa Inuerſio: rectè enim reſpondet, non figuratè. Adepti eſtis) ſcilicet morte Clodij, & eſt explanatio prædictorum per ἀντιθέσιν. Ciuem) improbum & ſeditioſum. Exercitationem) id eſt, facultatem & materiam uirtutis exercendæ & propagandæ. Itaque Milonis) Explanat certius ex conſequentibus, eſtq; ſignum ex contrario dictum. Tentari) moueri, ut alio deferatur. Non modo) Clauſula per acclamationem. Et ualuit odium) Alia occupatio, qua liberat impulſione Milonem. Quid uultis amplius?) Confidenter loquitur, & adſeueranter. Segetem ac materiam) ἀποδίωξις, qua indignum fuiſſe Clodium oſtendit, in quo uirtutem ſuam exerceret Milo. Ille erat) Confert odium Clodij, & maximum fuiſſe oſtendit. Lege Plotia) M. Plotius Syllanus legem tulerat de uiſi quis Reipubli. oppugnaſſet. Clodius autem poſt editum Ciceronis, domum eius quæ ex publico ædifica-

ficabatur, uastauerat: quam rem censuerat Senatus qui feciſſent, de ui teneri. hinc eademetiam lege Milo Clodium postulauerat. Tyrannum) Clodium. Reliquum est) Amarulenta ironia. ab utriusque peccandi consuetudine, ad aliud argumentum transit.

Quæ fuisset igitur causſa restituendi mei, nisi fuisset iniusta eijciendi? Diem mihi credo dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat & mihi, Iudices, in causſa aut uestra mala, aut mea nec præclarissima etiam iudicium timendum fuit? Seruorum & egentium ciuium & facinorosorum armis, meos ciues, meis consilijs periculisq; seruatos, pro me obijci nolui. Vidi enim, uidi hunc ipsum Qu. Hortensium, lumen & ornamentum Reipublicæ, penè interfici seruorum manu, cum mihi adesset: quia in turba C. Vibienus Senator, uir optimus, cùm hoc quum esset unà, ita est multatus, ut uitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam à Catilina acceperat, conquieuit? hæc intentata nobis est: huic ego uos obijci pro me non sum passus: hæc insidiata Pompeio est: hæc istam Appiam uiam monimẽtum sui nominis nece Papyrij cruentauit: hæc eadem longo interuallo conuersa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad regiam penè confecit. Quid simile Milonis? cuius uis omnis hæc semper fuit, ne P. Clodius cùm in iudicium detra-

detrahi non posset, ui oppressam ciuitatem teneret. Quem si interficere uoluisset, quantæ, quoties occasiones, quàm præclaræ fuerunt? Potuit ne cum domum ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se ulcisci? potuit ne ciue egregio & uiro fortissimo P. Sestio Collega suo uulnerato?

BARTHOL. LATOMVS.

Quæ fuisset) Enthymema ex contrariis & repugnantibus. Diem mihi credo) Occupatio ironica ad sui defensionem. Perduellionis) id est, læsæ maiestatis crimen. Seruorum) Cum irrisione hactenus locutus est, nunc seriò agit. Vidi enim) Continuat & exponit, simulq; amplificat. Cum mihi adesset) ut defenderet me contra conatus Catilinæ, unà cum reliquis optimatibus. Qua in turba) ante curiam. Vnà) cum Q. Hortensio. Vt uitam amiserit) ut ex eo uulnere obierit. Itaque quando) Concludit, & crimina Clodij congregat. Sica illa) uis, arma. Oratoriè autem significat socium fuisse coniurationis. neque intelligendum est, re uera sicam à Catilina accepisse. sed animum, quo Rempublicam perdere conabatur, ita μεταφορικῶς dixit Sica illa. Nobis) Vobis legendum. Huic) sicæ, Id est, uiolentiæ & furori Clodij. Nominis) Clodiani. Papirij) Equitis Romani. Ad regiam) in uia sacra, ubi Numa Pompil. olim habitauerat. Quid simile) Confert innocentiam Milonis, & docet quoties ille peccandi occasionem prætermiserit. Cuius uis omnis) Argumenta ex uita antè acta. Quam præclarè) De hoc extat epistola lib. 4. ad Atticum. Collega suo) in Tribunatu. uide orationem pro P. Sestio. Vulnerato) Acceptis supra x x x. uulneribus.

Potuit'ne Fabritio uiro optimo, cùm de reditu

meo legem ferret, pulso, crudelißima in foro cæde fa
cta? potuit'ne L. Cæcilij iuſtißimi fortißimi'que
Prætoris oppugnata domo? potuit'ne illo die, cùm
eſſet lata lex de me? cum totius Italiæ concurſus,
quem mea ſalus concitarat, facti illius gloriam li=
bens agnouiſſet? ut etiam ſi id Milo feciſſet, cuncta
ciuitas eam laudem pro ſua uendicaret. Atqui erat
id temporis clariſſimus & fortiſſimus Conſul inimi=
cus Clodio P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propu=
gnator Senatus, defenſor ueſtræ uoluntatis, patro=
nus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ:
ſeptem Prætores, octo Trib pleb. illius aduerſarij,
defenſores mei: Cn. Pompeius autor & dux mei re=
ditus, illius hoſtis: cuius ſentẽtiam Senatus omnis de
ſalute mea grauißimam & ornatißimam ſecutus eſt:
qui populum Romanum cohortatus eſt: qui cum de
me decretum Capuæ feciſſet, ipſæ cunctæ Italiæ cu=
pienti, & eius fidem imploranti, ſignum dedit, ut ad
me reſtituendum Romam concurrerent. Omnia tum
denique in illum odia ciuium ardebant deſiderio
mei: quem tũ ſi interemiſſet, non de impunitate eius,
ſed de præmijs cogitaretur: tamen ſe Milo conti=
nuit, & Pub. Clodium ad iudicium bis, ad uim nun=
quam uocauit. Quid? priuato Milone, & reo ad po=
pulum accuſante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium
pro Milone dicentem impetus factus eſt? quæ tum
non

non modo ocasio, sed etiam caussa illius opprimendi fuit?

BARTHOL. LATOMVS.

Agnouisset) id est, in se recepisset. Cuncta ciuitas) tota Respublica Romana. Atqui erat) Amplificatio occasionis à personis. Restitutor) autor mei reditus. Signum dedit) id est, excitauit Italiam, adhortatus est, metaphora bellica. Omnia) Omnium tum denique, legendum: & causſam obiter addit. Ardebant) id est, inuisus erat omnibus. Ad uim) ad arma. Quid) alia occasio, atque hoc factum fuit ante Tribunatum Milonis, uide Plutarch. In Pompeio. Addit autem uehementiam orationi, & connectit per incrementum. Priuato Milone) id est post Tribunatum.

Nuper uerò cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, grauissimamq; adolescens nobilissimus Reipub. partem fortissimè suscepisset, atque illam belluam iudicij laqueos declinantem iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dij immortales, fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebris abdidisset: magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua inuidia, Antonij uerò maxima gloria? Quid? comitijs in campo quoties potestas fuit? cùm ille ui in septa irruisset, gladios distringendos, lapides iaciendos curasset, deinde subitò uultu Milonis perterritus fugeret ad Tyberim: uos & omnes boni uota faceretis, ut Miloni uti uir-

tute ſua liberet? Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quẽ iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis nõ dubitauit occidere? Præſertim, Iudices, cum honoris ampliſſimi contentio, & dies comitiorum ſubeſſet: quo quidem tempore (ſcio enim quàm timida ſit ambitio, quantaq; & quàm ſolicita cupiditas Conſulatus:) omnia non modo quæ reprehendi palàm, ſed etiam obſcurè cogitari poſſunt timemus rumorem, fabulam fictam, falſam perhorreſcimus: ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim eſt tam molle, tam tenerũ, tam aut fragile aut flexibile, quàm uoluntas erga nos ſenſusq; ciuium: qui non modo improbitati iraſcuntur candidatorũ, ſed etiam rectè factis ſæpè faſtidiunt. Hunc diẽ igitur campi ſperatum atque exoptatum ſibi proponens Milo, cruentis manibus ſcelus & facinus præ ſe ferens & confitens, ad illa auguſta Centuriarum auſpicia ueniebat. Quàm hoc non credibile in hoc, quàm idem in Clodio non dubitãdum? qui ſe, interfecto Milone, regnaturum putaret.

PHILIP. MELANCHTH.

Quem igitur cum omnium) Amplificatio à minore. Et dies comitiorum, &c. Exaggerat tempus comitiorum.

BAR=

PRO MILONE.

BARTHOL. LATOMVS.

M. Antonius) Hic deinde factus est Triumuir una cum Octauio Augusto. Belluam) Clodium. In schalarum tenebris) de hoc in ij. Philippica. Magnum) Potuit impune facere. Quid comitijs) Item alia occasio. Colligit autem omnia tempora. In septa) Quibus includebatur populus in campo Martio. Quem igitur) Epilogus per enumerationem, & contentionem argumentorum ex maiori. Alieno tempore) Tempus consulatus intelligit. Non dubitaui.) Contentio ex minori. Præsertim) Aliud argumentum ex tempore. Subesset) instaret. Quo quidem) Amplificatio ex adiunctis, ut probet Milonem seruire huic tempori uoluisse. Scio enim) Parenthesis, ad fidem faciendam. Intuemur) Obseruamus quo animo sint adfecti. Nihil enim est, Aetiologia. Campi) In campo enim Martio comitia habebantur. Augusta) sacra ab augurio. Quam hoc Expolitio sententiæ per Epiphonema. Qui se) Facit uerisimile.

Quid (quod caput audaciæ est, Iudices) qui ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? in utro igitur hæc fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut præclari, aut certè necessarij? an in Clodio? qui ita iudicia pœnamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te. Qu. Petili appello optimum & fortißimũ ciuem: te M. Cato testor, quos mihi diuina quædam sors dedit Iudices, uos ex M. Fauonio audistis Clodium sibi dixisse, & audistis uiuo Clodio, periturum Milonem triduo

post diem tertium gesta res est, quàm dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire quid cogitáret, uos potestis dubitare quid faceret? Quemadmodum igitur eum dies non fefellit, dixi equidẽ modo. Dictatoris Lanuuini stata sacrificia nosse negocij nihil erat. Vidit necesse esse Miloni proficiſci Lanuuiũ illo ipso quo profectus est die. Itaque anteuertit. At quo die? quo, ut antè dixi, insanissima concio ab ipsius mercenario Trib. pleb. est concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquisset. Ergo illi ne causſa quidem itineris, etiã causſa manendi. Miloni nulla facultas manendi, exeundi non causa solùm, sed etiam necessitas fuit. Quid? si ut ille scisuit Milonem fore eo die in uia, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Primùm quæro, qui scire potuerit? quod uos idem in Clodio quærere non potestis. Vt enim neminem alium nisi T. Patinam familiarissimum suum rogasset, scire potuit illo die ipso Lanuuij à Dictatore Milone prodi Flaminem necesse esse. Sed erant permulti alij, ex quibus id facilimè scire posset, omnes Lanuuini. Milo de Clodij reditu unde quæsiuit? quæsierit sanè. uidete quid uobis largiar, seruum etiam, ut Arius meus amicus dixit, corruperit

PHILIP. MELANCHTH.

Quid

Quid quod caput & cæt.) Quartum argumentum. Credibilius est hunc fecisse insidias, qui sperauit impunitatem. Milo non potuit hanc sperare. Igitur non est credibile Milonem fecisse insidias. Ponuntur autem ad uerbum maior & minor syllogismi. Quid quod &c.)Maior. In utro igitur, & cæt.) Minor. Sed quid ergo argu. &c.) Sequuntur argumenta facultatis, sumpta ab occasionibus, ac primum à tempore itineris ducit: Clodius sciebat iter Milonis, ergo potuit struere insidias. Milo nesciebat iter Clodij, ergo ne potuit quidem moliri insidias. Probatio est antecedentis, Clodius habuit causam manendi in urbe, ergo ne quidem fuit exiturus, nisi ad cogitatum facinus. Aditum autem facit ad argumenta facultatis, commemoratione minarum Clodij, in quibus ille tempus constituerat.

BARTHOL. LATOMVS.

Quid?) A spe impunitatis, quæ in utro fuerit ostenditur. Præclari) quia pernicioſum ciuem sustulit. Necessarij) quia suam uitam defendit. Sed quid) à dicto Clodij. Q. Petili) Hic unus é iudicibus. Diuina quædam sors) quasi dicat, non potuisset ipsa sors mihi optatiores iudices dare, quàm uos. Cum ille) Complexio ex maiori, quia cogitationes obscuriores sunt factis. Quemadmodum) A præscientia itineris Milonis, quam commodè subiungit præcedenti argumento, & pertinet ad spem perficiendi. Stata) id est solennia. At quo) Consilium à tempore. Trib. pleb. Q. Pompeio. Ergo illi) Concludit breuiter, Quid? si) Confert imprudentiam Milonis, quam probat à personis & itinere Clodij, & ex dictis testium confirmat. Subest autem uis argumenti ex remotione, ut Fabius libro 5. uocat. Rodolphus uerò ex partibus. Omnes) scilicet. Vrget remotionem.

Legite testimonia testium uestrorum. Dixit C.

Caßinius, cognomento Schola, Interamnis, familia-
ris meus, & idem comes P. Clodij, cuius iampridem
testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat
& Romæ, P. Clodium illo die in Albano mansurum
fuisse, sed subitò ei fuisse nunciatum, Cyrum archi-
tectum esse mortuum. itaque Romam repentè con-
stituisse proficisci. dixit hoc comes item Publij Clo-
dij, C. Clodius. Videte, Iudices, quantæ res his testi-
monijs sunt confectæ. Primùm certè his liberatur
Milo non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur
in uia Clodio: quippe si ille ei obuius futurus omni-
no non erat. Deinde (non enim uideo cur non meum
agam negocium) scitis Iudices fuisse, qui in hac ro-
gatione suadenda dicerent, Milonis manu cædem es-
se factam, consilio uerò maioris alicuius. Videlicet
me latronem ac sicarium abiecti homines & perditi
describebant. Iacĕt suis testibus ij, qui Clodium ne-
gant eo die Romam, nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuisse. Respirauí: liberatus sum: non uereor,
ne quod ne suspicari quidem potuerim, uidear id co-
gitasse. Nunc persequar cætera: nam occurrit illud.
Ne Clodius quidem de insidijs cogitauit: quoniam fu-
it in Albano mansurus, siquidem exiturus ad cædem
è uilla non fuisset. Video enim illum qui dicitur Cy-
ri mortem nunciasse, non id nunciasse, sed Milonem
appropinquare. Nam quid de Cyro nũciaret, quem

Clodius

Clodius Roma proficiſcens reliquerat morientem? Vnà fui, teſtamentum ſimul obſignaui cum Clodio. teſtamentum autem palàm fecerat, & illum hæredem & me ſcripſerat. quem pridie hora tertia animam efflantem reliquiſſet, eum mortuum poſtridie hora decima ei nunciabatur?

PHILIP. MELANCHTH.

Pub. Clodium illo die in Albano) Quidam teſtis dixerat, Clodium fuiſſe in Albano pernoctaturum: ſed nunciata Cyri morte, repentè eum mutaſſe conſilium, & Romam properaſſe. Huius teſtimonij alteram partem detorquet Cicero ad Milonis excuſationem: Si enim Clodius in Albano manſurus erat, ergo neq; egreſſus eſt Milo, ut ei occurreret: neque ſcire potuit eum eſſe rediturum. Alteram partem callidè inuertit: Si Clodius ſubitò mutauit conſilium, ergo non de Cyri morte nunciatum eſt, ſed de aduentu Milonis. Ita diluit teſtimonium, & addit rationes de Cyro, non fuiſſe cauſſam cur properaret propter Cyri mortem. Deinde ſequuntur rationes ſumptæ à loco. Prima: Si Milo ſciebat aduenire Clodium, debuit non procul ab urbe prouehi, quia facilius occultari facinus potuit in uicinia urbis. Secunda de loco. Milo debuit Clodio occurrere priuſquam in uillam diuerteret, ne elaberetur, ne id quidem fecit Milo, ergo non habuit conſilium faciendi inſidias. Hic addit epilogum, in quo repetit ſuperiora argumenta, ut uidelicet ad id quod ualere plurimum uidebatur, aditum ſibi faceret. Eſt autem ſumptum à loco pugnæ, item ab apparatu. Clodius reſtitit in loco commodiore, item fuit eques, habuit præter morem ſecum tantum gladiatorũ: item contatus eſt, ut ſolent qui expectant, & moliuntur aliquid. Milo contra pugnauit iniquo loco, duxit ſecum uxo-

M. T. CICER.

rẽ & cętera impedimẽta: ergo nõ eſt ueriſimile Milonem cogitaſſe de inſidijs faciẽdis. Additur cõfutatio de ſeruis: nam aduerſarij argumentabantur, Milonẽ ideo ſeruos manumiſiſſe, ne rapti ad cruciatus faterentur & proderent Milonis conſilia. Cicero aliam cauſſam manumiſſionis allegat, ſcilicet meritos eſſe libertatem, quia dominum defendiſſent. Confutat & teſtimonia ſeruorum Clodij, facilè enim intelligi poteſt, leue teſtimonium ſeruorum Clodij pro Clodio. Video enim illum qui dicitur) Inuerſo: Imò non de Cyro nunciauit, ſed de Milonis aduentu, ut Clodius haberet ſpacium occupandi loci inſidiarum.

BARTHOL. LATOMVS.

Legite) Ex teſtimonijs Clodianis probat Milonem ſcire non potuiſſe. Cuius iampridem) Obiter perſtringit teſtem. In Albano) Villa ipſius Clodij. Cyrum architectum) Huius alibi facit mentionem Cicero in epiſtolis. Videte iudices) Concluſio qua docet quid efficiatur pro Milone, & contra aduerſarios. Deinde) Inducit ſui purgationem ex eodem teſtimonio. Deſcribebant) deſignabant. Iacent) Epiphonema, claudens intentionem. Reſpiraui) Exclamatio quaſi ſecuri & fidentis. Nunc) Perſequitur inductum teſtimonij locum, quem fictum arguendo oſtendit. criminis facultatem ex nunciato aduentu Milonis, & conſilium eiuſdem arguit ex diſſimulatione Clodij, & temporis obſeruatione. Video) Teſtimonium hoc irridet, tanquam fictum. Nã quid) Ex ſuperuacuo, uel ex cauſa finali. Vnà fui) Confirmat ſuo teſtimonio.

Age, ſi ita factum: quæ cauſſa cur Romam properaret, cur in noctem ſe cõijceret? quid adferebat feſtinatio? quòd hæres erat? primum erat nihil cur

properato opus esset: deinde si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem si postridie mane Romam uenisset? Atque ut illi nocturnus ad Vrbem aduentus uitandus potius quàm expetendus fuit: sic Miloni cùm insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum atque expectandum fuit. nemo ei neganti non credidisset, quem omnes saluum etiam confitentem uolunt. Sustinuisset hoc crimẽ primùm ipse ille latronum occultator & receptator locus, dum neq; muta solitudo indicasset, neq; cæca nox ostendisset: deinde ubi multi ab illo uiolati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderẽt, tota denique rea citaretur Hetruria. Atqui illo die certè Aricia rediens diuertit Clodius in Albanum: quod nisi sciret illum Milo Ariciæ fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reuerti uellet ad uillam suam, quæ uiam tangeret, diuersurum: cur neque ante occurrit, ne in uilla resideret? nec eo in loco subsedit, quo ille noctu uenturus esset? Video adhuc constare omnia Iudices, Miloni etiam utile fuisse Clodium uiuere? illi ad ea quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse. Odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum. Consuetudinem illius perpetuam in ui inferenda, huius tantum in repellenda. Mortem ab illo denuncia

tam

tam palam Miloni & prædicatam: nihil unquam auditum ex Milone. profectionis huius diem illi notum: reditum illius huic ignotum fuisse. Huius iter *necessarium: illius etiam potius alienum.* Hunc præ *se tulisse illo die Roma exiturum: illum eo die se dissimulasse rediturum.* Hunc *nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilij finxisse.* Huic si *insidiaretur, nocte propè urbem expectandum: illi etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.*

PHILIP. MELANCHTH.

Atque ut illi nocturnus) Sextum argumentum & primum de loco. Atque illo die certe Aricia) Septimum argumentum, secundum de loco.

BARTHOL. LATOMVS.

Age sit ita factum) προωνευῶς relinquit argumentationem, & alia reprehendit, nempe firmiora, nunciatum esse non de Cyro, sed de Milone, ac proinde consilium insidiarum probat in Clodio. Cur Romam.) Argumenta ex Clodij festinatione, siue ex adiunctis, ut alij. Quod hæres erat) Remouet quod obijci poterat: Esset scilicet opus. Atque) Remouet consilium criminis à Milone, quia nec locum nec tempus obseruauerit: & occasionem amplificat. Quem esse omnes) Format enthymema ex contrarijs. Sustinuisset) id est celasset. Deinde) Vide commoditatem Milonis, si illa uti uoluisset, ex occasione loci & temporis. Atque illo) Aliud argumentum neglectæ occasionis in Milone, quod ducitur ex tarditate itineris eius. Cur neque) Profert argumentum, instando per

interrogationem. Video) Epilogus totius disputationis de uoluntate & consilio insidiarum, per argumentorum enumerationem. Alienum) alieno tẽpore. Hunc) Milonem. Illum) Clodium. Prope urbem) Nam hic locus erat aptissimus.

Videamus nunc (id quod caput est) locus ad insidias ille ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id uerò Iud. etiam dubitandum, & diutius cogitandum est? Ante fundum Clodij, quo in fundo propter insanas illas substructiones, facilè mille hominum uersabatur ualẽtium aduersari. Atqui excelso loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam caussam eum locum ad pugnam potissimùm delegerat. An in eo loco potius expectandam ab eo qui ipsius loci spe facere impetũ cogitarat? Res loquitur Iudices ipsa, quæ semper ualet plurimum, si hæc non gesta audiretis, sed picta uideretis: tamen appareret, uter esset insidiator: uter nihil cogitaret mali: cùm alter ueheretur in Rheda penulatus, unà sederet uxor: quid horum non impeditissimum? uestitus? an uehiculum? an comes? quid minus promptum ad pugnam? cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè constrictus esset. Videte nunc illum, primùm egredientem è uilla subitò. cur uesperi? quid necesse est tarde? qui conuenit, præsertim id temporis? Diuertit ad uillam Pompeij. Pompeium ut uideret? sciebat in Alsiensi esse uilla procul inde. Villam

M. T. CICER.

Iam ut perſpiceret? millies in ea fuerat, quid ergo erat moræ & tergiuerſationis? dum hic ueniret, locum relinquere noluit.

PHILIP. MELANCHT.

Videamus nunc) Octauum argumentum, & tertium de loco.

BARTHOL. LATOMVS.

Videamus nunc) Tranſit ad ſecundum caput coniecturæ, quod ad facultatem à loco pertinet. Subſtructiones) quibus ſuſtinebantur margines fundi, quæ Appiam contingebant. Mille) ſubſtantiuè. Atqui) Ab ipſo habitu loci. eſt autem occupatio ironica, ad conferendum Milonem. Res loquitur) hypotypoſis. Rem enim ſubiicit ante oculos, deſcripto habitu & comitatu utriuſq; ad locum in quo congreſſi ſunt. Videte nunc illum) Confert iter Clodii, & tempus egreſſionis eius è uilla oſtendit. Diuertit) Argumentum ex remotione. Pompeium) Occupat quod dici poteſt, & reprehendit à ſuperuacuo.

Agè *nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cũ uxore, tum ſine ea: nunquam non in rheda, tum in equo: Comites Græculi quocunq; ibat, cũ etiam in caſtra Hetruſca properabat: tum nugarum in comitatu nihil: Milo qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. Ille qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat: tum neminem, niſi ut uirum à uiro*

lectum

lectum esse diceres. Cur igitur uictus est? quia non semper uiator à latrone, nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in uiros. Nec uerò sic unquam erat paratus Milo contra illum, ut non satis ferè esset paratus semper ille: & quantum interesset P. Clodij, se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat. quamobrem uitam suam, quàm maximis præmijs propositam & penè addictam sciebat, nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia prouehebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq; communem, qui sæpè spoliantem iam & exultantem euertit & perculit ab abiecto. Adde insciti am pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit, in quos incensos ira, uitamq; domini desperantes cùm incidisset, hæsit in pœnis, quas ab eo seruui fideles pro domini uita expetluerunt.

BARTHOL. LATOMVS.

Age nunc) Redit ad collationem itineris utriusque. Græculi) Ad contemptum, id est, homines leues. Etiam cum) Hoc ad inuidiam coniurationis Catilinæ, qui castra ad Fesulas in Hetruria habuerat. unde obiter notat Clodium tanquam socium coniurationis. Exoletos) pueros adultos, & duriores ad Venerem. Vt uirum à uiro) Hoc singulare genus delectus erat

M. T. CICER.

Iam ut perſpiceret? millies in ea fuerat, quid ergo erat moræ & tergiuerſationis? dum hic ueniret, locum relinquere noluit.

PHILIP. MELANCHT.

Videamus nunc) Octauum argumentum, & tertium de loco.

BARTHOL. LATOMVS.

Videamus nunc) Tranſit ad ſecundum caput coniecturæ, quod ad facultatem à loco pertinet. Subſtructiones) quibus ſuſtinebantur margines fundi, quæ Appiam contingebant. Mille) ſubſtantiuè. Atqui) Ab ipſo habitu loci. eſt autem occupatio ironica, ad conferendum Milonem. Res loquitur) hypotypoſis. Rem enim ſubiicit ante oculos, deſcripto habitu & comitatu utriuſq; ad locum in quo congreſſi ſunt. Videte nunc illum) Confert iter Clodii, & tempus egreſſionis eius è uilla oſtendit. Diuertit) Argumentum ex remotione. Pompeium) Occupat quod dici poteſt, & reprehendit à ſuperuacuo.

Agè *nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cũ uxore, tum ſine ea: nunquam non in rheda, tum in equo: Comites Græculi quocunq; ibat, cũ etiam in caſtra Hetruſca properabat: tum nugarum in comitatu nihil: Milo qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. Ille qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat: tum neminem, niſi ut uirum à uiro*

lectum

lectum esse diceres. Cur igitur uictus est? quia non semper uiator à latrone, nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in uiros. Nec uerò sic unquam erat paratus Milo contra illum, ut non satis ferè esset paratus semper ille: & quantum interesset P. Clodij, se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat. quamobrem uitam suam, quàm maximis præmijs propositam & penè addictam sciebat, nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia prouehebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq; communem, qui sæpè spoliantem iam & exultantem euertit & perculit ab abiecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit, in quos incensos ira, uitamq; domini desperantes cùm incidisset, hæsit in pœnis, quas ab eo seruui fideles pro domini uita expetluerunt.

BARTHOL. LATOMVS.

Age nunc) Redit ad collationem itineris utriusque. Græculi) Ad contemptum, id est, homines leues. Etiam cum) Hoc ad inuidiam coniurationis Catilinæ, qui castra ad Fesulas in Hetruria habuerat, unde obiter notat Clodium tanquam socium coniurationis. Exoletos) pueros adultos, & duriores ad Venerem. Vt uirum à uiro) Hoc singulare genus delectus erat

erat, quo non ab imperatore miles ex lege & censu scribebatur, ut solebat, seduir à uiro legebatur: de quo fit mentio apud Liuium, Cur igitur) Occupatio, qua infert confutationem suspicionum, quam confirmat hoc loco à uirtute & prouidentia Milonis, & incerta pugnæ fortuna. item à temeritate Clodij. Quia non semper) Sententia generalis per locum communem. Quantum interesset) id est, quàm commodum esset Clodio, si Milo periret. Præmijs) quæ darentur ijs qui Milonem occidissent, Addictam) μεταφορικῶς. uerbum enim est Iuris ciuilis, quo prætor emptorem alloquitur, æstimationem illius ratam habens. Do, Dico, Addico. Communem) modo ab hac, modò ab illa parte stantem, unde Græcis ἀλλοπρόσαλλος dicitur. Oscitantis) negligentis. Cæterum oscitatio cernitur tantum, singultus auditur. Intercluſum) à suis seruis, hoc est, disiunctum & separatum à se. Hæsit in his penis) Vtitur περιφράσει, ut rem duriorem molliat, id est, pœnas dedit.

Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet ne indicaretur? ne dolorem perferre non possent? ne tormentis cogerentur occisum esse à seruis Milonis in Appia uia P. Clodium confiteri? Quid opus est tortore? quid quæris? occiderit ne? occidit. iure, an iniuria? nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæstio est, iuris in iudicio. Quod igitur in causſa quærendum est, id agamus. Hoc quod tormentis inuenire uis, id fatemur. Manu uerò cur miserit, si id potius quæris, quàm cur parum amplis adfecerit præmijs, nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hoc, idem, qui omnia semper cõstanter & fortiter,

titer, M. Cato: dixitq; in turbulenta concione quæ tamen huius autoritate placata est: non libertate solùm, sed etiam omnibus præmijs dignißimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim præmium satis magnum est tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus seruis, propter quos uiuit? etsi id quidem non tanti est, quàm quòd propter eosdem non sanguine & uulneribus suis crudelißimi inimici mentẽ oculosq; satiauit: quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerũt, conseruatores domini, ultores sceleris, defensores necis? Hic uerò nihil habet in his malis, quod minus molestè ferat, quàm etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum præmium persolutum.

BARTHOL. LATOMVS.

Cur igitur) Alia occupatio, qua anteuertit id quod dici potest: eoq; dimoto, id quod respondendum est infert. Pertinet locus ad purgandam conscientiam Milonis, propter manumissos seruos. id enim non metu conscientiæ, sed meritò factum esse ostendit. Metuebat) Ironia. In equuleo) tormentis. Quod igitur) Concludit. Manu uero cur miserit) Profert ueram causſam manumissionis: & rectè factum defendit, à testimonio Catonis, & merito seruorum. Dixitq;) à loco & tempore amplificat. Quod enim) αἰτιολογία. Amplificatio à genere beneficij, & odio Clodij. Propter quos) per quos. Etsi id quidem) Oratoriè extenuat, ut alterum magis exaggeret. Corrigit autem, & altius attollit meritum seruorum erga Milonem. Quos nisi) Occupatio indignantis, & concludit ex

dit ex abundanti. Hoc uerò ἐπιφόνημα. Cum adſeueratione autem hoc dicit, & ſententiam abſoluit. Si quid ipſi accidat) id eſt, ſi condemnetur.

Sed quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ in atrio Libertatis. quibus'nam de ſeruis? rogas? de P. Clodij. quis eos poſtulauit? Appius quis produxit? Appius. unde ab Appio. Dij boni, quid poteſt agi ſeueriùs? De ſeruis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium. Proximè deos acceßit Clodius: proprius quã tum, cûm ad ipſos penetrarat: cuius de morte tanquam de cæremonijs uiolatis quæritur. Sed tamẽ maiores noſtri in dominum de ſeruo quæri noluerunt: non quia nõ poſſet uerùm inueniri, ſed quia uidebatur indignum eſſe, & domini morte ipſa triſtius. In reum de ſeruis accuſatoris cùm quæritur, uerum inueniri poteſt? Age uerò, quæ erat, aut qualis quæſtio? heus ubi Roſcio? ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit: ſperata libertas. Quid hac quæſtione certius? Subitò arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas conijciuntur, ne quis cum his colloqui poßit. Hi centum dies penes accuſatorem cùm fuiſſent, ab eo ipſo accuſatore producti ſunt. Quid hac quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius?

BARTHOL. LATOMVS.

Sed

Sed quæstiones) Tertia occupatio contrà quæstiones, quas refel it à persona Appij, à quo postulati & producti serui fuerant: item ex lege & à modo quærendi. Vrgent Milonem) ἐφωνημῶς, ex persona aduersarij, Rogas? de P. Clodij) Inuersionis schema. Appius) frater P. Clodij. Appius) Non solum festiua est hæc repetitio, sed etiam excitat. Ab Appio) Igitur domi prius instruxit. Dij boni) Concludit exclamando, sed ἐφωνημῶς, De seruis nulla) Negat legitimam fuisse quæstionem. Vt fuit in Clodium) Inuidiosè hoc. Proximè ad deos) Irridet ad rei absurditatem. Ad deos accessit) Deus factus est, uel ἐφωνημῶς sacra Bonæ deæ intelligit: Propius quam) Ironia urbana, cum inuidiosa comparatione. Sed tamen) Comprobatio legis à maiorum autoritate. Corrigit autem, & negat ne de incestu quidem apud maiores de seruis quæsitum fuisse. atque inde concludit argumentationem ex minori, de propriis seruis iniquam esse quæstionem in dominum: ergo multo iniquiorem esse de seruis inimici. In dominum) ideſt, contra dominum, uel de domino. Non quia Occurrit cogitationi, & addit cauſſam cur seruos torquere noluerint maiores. Morte) damnatione. Age uerò) Nunc reprehendit à modo quærendi, & inducit προσαποποιαν. Quæstio) tormentum, Certa crux) id est, certum supplicium & est quasi summisse pronunciandum. Certa) scilicet proposita est tibi. Libertas) donaris libertate. Quid hac) Irridet hanc quæstionem, & colligit summam reprehensionis. Subitò arrepti) Hoc ἐφαντικῶς dicitur arguit enim oportuisse fieri, quod factum non sit. Arcas) loca disiuncta & angustiora, in quibus uincti tenebantur: & rectè ab arcendo, ne cum aliquo loqui possent. Hi centum) Hoc rursus serio, & repetit à persona.

Quod si satis nondum cernitis, (cum res ipsa tot, tam claris argumẽtis signisq; luceat) pura men-

te atque integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum, Romam reuertiſſe: recordamini per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius, qui ingreſſus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui uultus, quæ oratio. Neque uerò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit, neq; Senatui modò, ſed etiam publicis præſidijs, & armis: neque ijs tantũ, uerùm etiam eius poteſtati cui Seuatus totam Rempub. omnem Italiæ nubem, cuncta populi Ro. arma commiſerat. Cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret, præſertim omnia audienti, magna intuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. Magna uis eſt conſcientiæ Iudices, & magna in utrãq; partem, ut neq; timeãt qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos uerſari putent, qui peccarint. Neque uerò ſine ratione certa, cauſſa Milonis ſemper à Senatu probata eſt. Videbant enim ſapientiſsimi homines, facti rationẽ, præſentiam animi, defenſionis conſtantiam. An uerò obliti eſtis Iudices recenti illo nuncio necis Clodianæ, nõ modò inimicorum Milonis ſermones, & opiniones, ſed nonnullorum imperitorum, qui negabãt eum Romam eſſe rediturum? Siue enim illud animo irato ac percito feciſſet, ut incenſus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodij pu-

dij putasse, ut æquo animo patria careret, cum sanguine inimici expleſſet odium ſuum. Siue etiam illius morte patriam liberare uoluiſſet, non dubitaturum fortem uirum, quin, cum ſuo periculo ſalutem Reipub. attuliſſet, cederet æquo animo legibus, ſecum auferret gloriam ſempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipſe ſeruaſſet.

PHILIP. MELANCHTH.

Quod ſi ſatis nondum, &c. Nouum argumentum ſumitur à ſignis conſequentibus, ſcilicet à conſcientia. Bene conſcij ſunt erecto & intrepido animo: Milo adeò fuit intrepido animo, ut redire auſus ſit, & ſe committere iratis & armatis magiſtratibus. Ergo ſibi bene conſcius fuit. Probatio minoris eſt longa illa narratio de reditu Milonis, de contemptis ſuſpicionibus & falſis rumoribus, ex quibus plurimum ei fuit periculi. ac per hanc occaſionem additur purgatio, qua Milonem purgat Pompeio, ut eximat Pompeio ſuſpiciones, quibus maximè prægrauabatur Milo, Ratio purgationis ſumpta eſt ex Pompeij beneficijs. Huic loco in fine addit grauiſſimam admonitionem, qua commune facit Pompeium, ne tales amicos abijciat, quorum ei fides aliquando præſidio eſſe poſſit in ſuis periculis. Fortunam enim, cum ſit mutabilis, etiam ipſi Pompeio metuendam eſſe. Correctio additur prudentiſſimè cogitata. Argumentatur enim ex ipſo facto Pompeij, quòd Milonem ſaluum eſſe uelit. Pompeius enim habebat ius interficiendi Milonis ſine iudicio, quia facto ſenatuſconſulto, ut uideret ne quid Reſpublica detrimenti acciperet, iam tacite Milo fuit hoſtis iudicatus, & Pompeio datum ius interficiendi Milonem. Debuit igitur ſine iudicio interficere, ſi Milonem pœna dignum eſſe

statuebat: sed non interfecit, igitur significat eum non esse dignum pœna. Hic locus subobscurus est, si quis Romanum morem & uim Senatusconsulti non mouit, quo magistratus in summis periculis armari solebant. Facto enim hoc Senatusconsulto, ut uiderent consules ne quid Respublica detrimenti caperet, dabatur potestas Consulibus conscribendi exercitus, eósque interficiendi, contra quos tale senatusconsultum fiebat, sicut Cæsar testatur in principio belli ciuilis, cum inquit: Quotiescunque decretum sit, darent magistratus operam ne quid Respublica detrimenti caperet: qua uoce & quo Senatusconsulto populus Romanus ad arma uocatus sit, factum in perniciosis legibus, in ui tribunitia, & cæt. Atque hic finis est defensionis principalis. Sequitur noua defensio, in qua tuetur Milonem alio quodam argumento, uidelicet, fuisse è Republica Clodium interfici, tanquam tyrannum, aut ciuem seditiosum. Quare Milo rectè fecerit, & pœna liberandus sit. Quod si satis nondum, &c.) Nonum argumentum & ultimum de conscientia. Orditur autem à minore. Magna uis est, & cæt. Maior: An uerò obliti estis?) Declaratio & probatio minoris, de suspitionibus ac falsis rumoribus.

BARTHOL. LATOMVS.

Quod si nondum) Integritas conscientiæ Milonis à reditu in urbem, & constantia. & est tertia coniecturæ pars. Celeritas) Plus est celeriter reuerti, quàm solum reuerti. adferunt autem pondus argumento hæ circunstantiæ. Neque uerò) Amplificatio per gradationem. & facit ad orationis uenustatem Præsidis) quæ Pompeius comparauerat. Eius) Pompeij. amplificat autem personam à potestate. Cui Senatus) Concludit, & simul alia ponit ad exaggerationem. Pubem) militarem. Est autem gradatio. Magna uis) Locus communis, quem confirmat autoritate Senatus & amplificat re-

at reditum Milonis ex atrocitate rumorũ de ipso post recentem Clodij cædem. Vt neque) Explanat. Et pœnã) ardentes illas furiarum tædas. An uero obliti) Amplificatio constantiæ à rumoribus. Siue enim illud) Refert opiniones hominum de absente Milone: easq; commemorando, delabitur in prosopopœiam, sed obliquam, per dubitationem rhetoricam. Siue etiam illius) Hic quoq; ad causam respicit, & admiscet adfectum cõmiserationis. Patriam liberare) nõ odio suo indulgere. Fortẽ uirum) Milonem. Nobis) in patria manentibus.

Multi etiam Catilinam atq; illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miseros interdum ciues optimè de Republica meritos: in quibus homines non modò res præclarissimas obliuiscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt, quæ certè uera extitissent, si Milo si admisisset aliquid, quod nõ posset honestè uereq; defendere. Quid? quæ postea sunt in eum congesta? quæ quamuis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, ut sustinuit diu immortales? sustinuit? imò uerò ut contempsit, ac pro nihilo putauit? quæ neq; maximo animo nocens neq; innocens, nisi fortissimus uir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorumq; etiam multitudo deprehendi posse iudicabatur: nullum in urbe uicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in uillam Otriculanam deuecta Tyberi: domus

statuebat: sed non interfecit, igitur figu
esse dignum pœna. Hic locus subobscurus
manum morem & uim Senatusconsult
quo magistratus in summis periculis ar
Facto enim hoc Senatusconsulto, ut u
les ne quid Respublica detrimenti caperet
testas Consulibus conscribendi exercitu
ferficiendi, contra quos tale senatusconsu
sicut Cæsar testatur in principio belli ci
quit: Quotiescunque decretum sit, daren
operam ne quid Respublica detrimenti
uoce & quo Senatusconsulto populus Ro
ma uocatus sit, factum in perniciosis legi
bunitia, & cæt. Atque hic finis est defensio
lis. Sequitur noua defensio, in qua tuetur
quodam argumento, uidelicet, fuisse è Re
dium interfici, tanquam tyrannum, aut c
sum. Quare Milo rectè fecerit, & pœna
Quod si satis nondum, &c.) Nonum ar
ultimum de conscientia. Orditur autem a
gna uis est, & cæt. Maior: An uerò obli
claratio & probatio minoris, de suspitio
rumoribus.

BARTHOL. LATOM

Quod si nondum) Intez
d reditu in urbem, & co
ræ pars
reuer
fi

at reditum Milonis ex atrocitate
recentem Clodij cædem. Vt
ardentes illas furiarum tædas
catio constantiæ à rumoribus
opiniones hominum de abs
morando, delabitur in
per dubitationem rhetoricam
quoq; ad causam respicit, &
rationis. Patriam liberare
uirum) Milonem. Nobis

M. T. CICER.

in cliuo Capitolino ſcutis referta, plena omniũ malleolorum ad Vrbis incendia comparatorum.

PHILIP. MELANCHTH.

Miſeros interdum ciues) πάθος.

BARTHOL. LATOMVS.

Multi etiam (ſcilicet qui atrociſſimi erant in Milonem. & hoc cum deteſtatione dicit, & mox labitur in conqueſtionem, ut adfectu rem adiuuet. Erumpet) Fingit ſermonem aduerſariorum, ut opinor. Miſeros) Delabitur ad commiſerationem. Ergo illa) Claudit ſententiam epiphonemate. Quid?) Auget ordinem exaggerationis. grauiora enim ſubiungit. Quæ?) ſcilicet tam atrocia. Quamuis) quantumuis. Perculiſſent) Permouiſſent. Suſtinuit) Corrigit, ut grauius inferat. Vt contempſit) magnum argumentum nullius conſcientiæ in Milone. Fortiſſimus) ſicut Milo erat. Scutorum, gladiorum) Sonus ipſe orationis rem ampliorem facit, præſertim in genitiuo. potuiſſet enim dicere, ſcuta, gladij, &c. Conducta domus) ſcilicet ad urbem capiendam. Otriculanam) Villam Milonis. Malleolorum) manipulorum pice contectorum, qui è ſtipula fiunt, apti ad incendum, à forma autem nomen habent, uide apud Vegetium.

Hæc non delata ſolùm, ſed penè credita: nec antè repudiata ſunt, quàm quæſita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompei: ſed dicam ut ſentio Iudices, nimis multa audire coguntur, neq; aliter facere poſſunt ij, quibus tota commiſſa eſt Reſpublica. quin etiam audiendus ſit Popa Licinius.

neſcio

neſcio quis de circo maximo, ſeruos Milonis apud ſe ebrios factos, ſibi confeſſos eſſe de interficiendo Pompeio coniuraſſe. Deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nunciauit. Arceſſor imprimis. de amicorum ſententia rem defert ad Senatum, Non poteram in illius mei patriæq; cuſtodis tanta ſuſpicione nõ metu examinari: Sed mirabar tamen credi Popæ: ebriorum confeßionem ſeruorũ audiri: uulnns in latere, quod acu punctum uideretur, pro ictu gladiatoris putari. Verùmetiam, ut intelligo, cauebat magis Pompeius, quàm timebat, non ea ſolùm quæ timenda erant, ſed omnia ne aliquid uos timeretis. Oppugnata domus C. Cæſaris clariſſimi & fortiſſimi uiri per multas noctis horas nunciabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo ſenſerat: tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium præſtantiſſima uirtute ciuem, timidum ſuſpicari. Diligentiam, tota Republica ſuſcepta, nimiam nullam putabam. Frequentiſſimo Senatu nuper in Capitolio Senator inuentus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret. Nudauit ſe in ſanctiſſimo templo, quoniam uita talis & ciuis & uiri fidem non faciebat, niſi eo tacente res ipſa loqueretur. Omnia falſa atque inſidioſe ficta comperta.

M. T. CICER.

PHILIP. MELANCHTH.

Sed dicam ut sentio, & cæt.) Leuiter reprehendit Pompeij suspiciones & timiditatem.

BARTHOL. LATOMVS.

Hæcnon) Epiphonema. Laudabam) Occurrit obiectioni, & excusat metum Pompeij, & falsam delationem reprehendit. Sed dicam) παρρησία Aliter) scilicet quàm fecit Pompeius. Commissa est) Significat Pompeium inuitum fecisse. Nescio quis) ad contemptum pertinet. Circo maximo) de genere quodam sacrificulorum, qui solebant familias purgare quibusdam sacris. Seruos Milonis) Extenuat narrationem delatoris. Nunquam autem dicta aduersariorum absq; infirmatione proferenda esse, præcipiunt Rhetores. Indicaret) scilicet hanc confessionem. In hortos) Quos habebat in urbe. Non poteram) Non Poteram non timere uice Pompeij, qui & me & patriam seruauit. Sed mirabar) Rem fictam ostendit à persona & signo, estq; correctio. Acu punctum) Hyperbolica diminutio. Verùmetiam) Refert sententiam Pompeij, qua factum eius probat, cur arma quæsierit, & oratorie non metum, sed cautionem interpretatur: & à tempore confirmat. Oppugnata) In tempus causam refert. Diligentiam) Epiphonema cum subiecta ratione. Frequentissimo) Ratio epiphonematis. Senator) P. Cornificius. Quoniam) Ironia. Omnia) Epiphonema.

Quod tamen si metuitur etiam nunc Milo, non iam Clodianum crimen timemus, sed tuas Cn. Pompeij (te enim iam appello ea uoce, ut me audire possis) tuas inquam suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua uitâ nefariè aut nunc cogitâ-

gitare, aut molitum aliquando aliquid putas: si Ita-
liæ delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictant: si
hæc arma, si Capitolinæ cohortes, si excubiæ, si vi-
giliæ, si delecta iuuentus, quæ tuum corpus domum-
que custodit, contra Milonis impetum armata est,
atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, in-
tenta sunt: magna in hoc certè uis, & incredibilis
animus, & non unius uiri uires atque opes indican-
tur, siquidem in hunc unum & præstantissimus dux
electus, & tota Respub. armata est. Sed quis non
intelligit omnes tibi Reipubli. partes ægras & la-
bantes, ut eas his armis sanares & confirmares, esse
commissas? Quòd si Miloni locus datus esset, pro-
basset profectò tibi ipsi, neminem unquam hominem
homini chariorem fuisse, quàm te sibi: nullum se un-
quam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa
teterrima peste sæpissimè pro tua gloria cõtendisse:
Tribunatum suum ad salutem meã, quæ tibi charis-
sima fuisset, consilijs tuis, gubernatum: se à te poste-
defensum in periculo capitis, adiutum in petitione
Præturæ. duos se habere semper amicissimos spera-
se, te tuo beneficio, me suo. Quæ si non probaret, si-
tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut euelli
modo posset: si deniq; Italia à delectu, urbs ab ar-
mis, sine Milonis clade nunquam esset conquietura:
nec iste haud dubitans cessisset patria: qui ita natus

est, &

est, & ita consueuit, te Magne tamen attestaretur: quod nunc etiam facit. Vide quàm sit uaria uitæ commutabilisq; ratio, quàm uaga uolubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Erit, erit illud profectò tempus, & illucescet aliquando ille dies, cùm tu nõ salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporũ immutatus (qui quàm crebrò accidet, experti debemus scire) & amicissimi beneuolentiam & grauissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi uiri magnitudinem animi desideres. Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompeium iuris publici, moris maiorum, rei deniq; publicæ peritissimum, cum Senatus ei cõmiserit, ut uideret ne quid Respublica detrimẽti caperet, quo uno uersiculo satis armati semper Consules fuerũt, etiam nullis armis datis: hũc exercitu, hunc delectu dato iudicium expectaturum fuisse in eius iudicijs uindicandis, qui uel iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est à Pompeio, falso ista conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolui oporteret: ut omnes confiterentur, liceret. Quòd uerò in illo loco, atq; in illis publicorum præsidiorum copijs circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre uobis (quid enim illo minus dignum,

gnum, quàm cogere ut uos eum cõdemnetis, in quem animaduertere ipse & more maiorum, & suo iure posset) sed præsidio esse, ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere uobis quod sentiatis liberè iudicare.

PHILIP. MELANCHTH.

Quod tamen si metuitur, &cæ.) Purgatio Milonis. Te Magne tamen, & cæt.) Admonitio de conseruandis fidis & firmis amicis. Quanquam quis credat, & cæt.) Correctio qua probat ex facto Pompeij, quòd uelit saluum Milonem.

BARTHOL. LATOMVS.

Sed tuas) Digreditur ad placandum Pompeium, est ergo ἀποστροφὴ ad absentem, qua armorum inuidiam dissoluit, quę disposita erant in foro, & circa Pompeiũ: & commiserationem mouet ex commutata fortuna Milonis. Rectè autem subiungitur hæc digressio reprehensioni superiori, & ingreditur hunc locum per correctionem. Porrò hæc periodus quamuis sit adfirmatiua, negatiuum tamen sensum habet. *Si Milonem*) Quod proposuit explanat, & rem ad improbationem exaggerat, quam, tametsi obtineri nequeat, conuertit in laudem Milonis. Conquisitores) Sic dicuntur qui milites conquirunt ac cogunt, quos duces ac capitaneos minores uocant. Cohortes) Quæ in Capitolio erant collocatæ à Pompeio. Magna) Redditio. Sed quis non) Colligit sententiam, & in contrarium uertit armorum opinionem, Milonisq; animum erga Pompeium declarat. Locus) id est, facultas, occasio. & commemoratione ueteris necessitudinis Pompeij & Milonis, uel placat Pompeium apud Iudices, uel in inuidiam adducit. Probasset) Fidem

dem tibi feciſſet. Peſte)P. Clodio. Sed à te)P. Clodius Milonem de ui accuſauerat poſt Tribunatum. quem Pompeius defendit. Huius rei & ſupra facta eſt mentio. Te tuo) Quia tu ipſum defenderas. Me ſuo)quia me in urbem reuocauit. Quæ ſi non probaret) Dilabitur in commiſerationem ex æquanimitate Milonis, & charitate fortunaq; erga patriam. Suſpitio)Quia ſuſpicabatur Pompeius ſibi inſidias fieri. Clade) damnatione, interitu. Haud dubitans)id eſt libenter. Miſerum eſt patriam ſaluam eſſe non poſſe ſine interitu & clade Milonis, eſt igitur miſeratione digna hæc Milonis fortuna.

Atteſtaretur)teſtem citaret. Vide quàm ſit)Amplificatio per locum communem à fortunæ & amicorum inconſtantia in caſu Milonis. Locus eſt totus patheticus. Ratio) id eſt, conditio, & quamuis in genere hæc dicantur, ad Milonem tamen referuntur, ad commouendum Pompeium, quod ei ſimile euenire poſſit infortunium. Erit, erit) Ominatur & Pompeio futuram rerum commutationem, qua ille Milonis fidem & uirtutem deſideraturus ſit: quod equidem haud ita multò poſt euenit, cum Milo Cæſaris partes eſt ſecutus. Sunt ergo dolenter & cum grauitate pronuncianda hæc. Erit, erit)Geminatio ad confirmationem. Vt ſpero)Non uult grauius dicere. Quanquam quis)Correctio, qua reuertitur ad armorũ interpretationem, & uoluntatem Pompeĩ ex facto eius oſtendit: Verſiculo)commendatione. Satis)Epiphonema, quo concludit collectam ſententiam. Qui legem) De hac rogatione locutus eſt in refutatione, ante narrationẽ, breuiter repetit præiudicium de Pompeio. Quòd uerò) Occupatio, quam ſoluit eodem argumento, & in contrarium uertit renouat em̃ locum exordĩ, quo rurſus amouet metum a iudicibus, cauſſam armorum in contrarium uertendo. In illo loco ad ærarium præſidiorum) armatorum hominum. Sedet) Neque enim præſens erat in Miloniſ iudicio. Suo iure) ut Conſul. Locus ex deſtinatis.

Heſter-

PRO MILONE.

Hesternam concionem) quam Numatius Trib. pleb. habebat contra Milonem.

Nec *uerò me, Iudices, Clodianum crimen mouet: nec tam sum demens, tamq; uestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam quid de morte Clodij sentiatis. de qua si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui: tamen impunè Miloni palàm clamare atq; mentiri glorioſe liceret:* Occidi, occidi, *non* Spurium Melium, *qui annona leuanda, iacturaq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non* T. Gracchum, *qui collegæ magistratum per seditionẽ abrogauit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cuius nefarium adulterium in puluinaribus sanctißimis nobilißimæ fœminæ comprehenderunt: eum cuius supplicio Senatus solennes religiones expiandas sæpè censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse* L. Lucullus *iuratus se quæstionibus habitis dixit comperisse.*

PHILIP. MELANCHT.

Nec uerò me Iudices) Hæc noua defensio etsi per sese non satis firma erat, tamen addita superiori ualet, propterea quòd commemoratio flagitiorum Clodij inflammat odia aduersus eum, & Miloni iudices reddit

reddit æquiores. Ac planè in tam graui cauſſa ſuperior diſputatio minus haberet ponderis detracto hoc loco, qui poſtquam accedit, ſonum maiorem addit, & impetu quodam Iudicum animos commouet. Eſt autem ſyllogiſmi ſumma: Seditioſos ciues licet impune interficere, Clodius fuit ſeditioſus, Igitur Clodium impune licet interfici. Maiorem Cicero proponit transformatam in exempla, quæ uidelicet eam confirmant. deinde ſubiicit longam enumerationem ſcelerum Clodii, quæ eſt minor, & probatio minoris: & minor eſt ornata antitheſi, quantum proſit ciuitati Clodii interitus. Deinde adduntur tres amplificationes. prima à contrarijs, nemo cuperet Clodium in uitam reſtituere, ergo mortem ulciſci iniuſtum eſt, ſecunda ab exemplo, in Græcis ciuitatibus præmia conſtituta ſunt tyrannicidis. hic addit occupationem, etſi amſi fortibus uiris non contingunt iuſta præmia, tamen uirtutis laude contenti ſunt, & cæt. Concluſio ſyllogiſmi. Quamobrem uteretur eadem confeſſione, & cæt.) Tertia amplificatio eſt grauiſſima & ſplendidiſſima. Eſt autem translatio. cauſſam enim mortis Clodij transfert in deos, atque ita admonet hanc gratiam Diis pro hoc beneficio deberi, ut Iudices Milonem ſeruent. In his locis conſumitur reliqua pars tota uſque ad peroratione m. Sed huius beneficij, & cæt.) In translatione primum proponit: Dij ſunt autores cædis Clodij. Rationes ſumptæ ſunt à ſignis, quia religiones uiolarat, aras demolitus fuerat. ergo Dij ſumpſerunt de eo pœnas. Secundum ſignum à loco ſumptum eſt: ad ipſum ſacellum Bonæ deæ interfectus eſt, ergo tunc Bona dea ulta eſt pollutas cæremonias, cum antea ulciſci in iudicio non potuiſſet. Sequitur amplificatio, in qua eſt longa querela, quòd nemo unquam eum reprimere potuerit, ergo nunc Dij repreſſerunt ad ſalutem Reipub. Initio uerò breuiter inſerit locum communem quo probat eſſe deos, & diis humana curæ eſſe. argumentum ad uerbum ſumptum eſt ex Xenophonte: Sicut in nobis eſt mens,

quæ

quæ etsi non cernitur, tamen ex effectibus intelligitur: ita deus intelligitur ex effectibus etsi aliter non cernitur. Cicero autem usus est figura orationis non ualde usitata, sed extant eius exempla in Topicis Ciceronis. Non est in hoc nostro imbecilli corpore mens, & non est in æterno & pulcherrimo corpore mens aliqua. Hæ duæ negationes habent uim adfirmationis, & enthymema efficiunt ex maiore, hoc modo: Si nostrum corpus mente gubernatur, multò magis totum mundi corpus. quasi dicat: Non est consentaneum, cùm nostrum corpus mente regatur, non regi mente totum mundi corpus: ut si dicas, non est opus imitatione in leuioribus artibus, ut in pingendo: & non est opus imitatione in arte multò difficilima dicendi. & hoc modo sæpè loquitur Isocrates, interdum etiam Demosthenes.

BARTHOL. LATOMVS.

Nec uero) Altera pars confirmationis, qua extra causam inducit comparationem criminis, eandemq; grauiter tractat cum acerbissima Clodianæ uitæ infectatione. estq; hic status adsumptiuus Clodianum crimen) id est, Clodij cædes. Ignarus atque expers) Catapophasis, Ironiæ species. De qua iam ἀποφάσει ex abundanti se ostendit altera parte defensionis uti. Vt dilui) per coniecturam & translationem scilicet in aduersarium ipsum. Atque mentiri) Confiteri data opera interfectum, ut insidiatorem. Occidi, occidi) Extenuat crimen Melij, ut Clodij amplificet, idq; per προσωποποιίαν. Non Spurium Melium) Collatio exempli à minori. Annona) caritate. Collegæ) M. Octauio Trib. pleb. Quorum) Melij & Gracchi. Auderet enim) Inserta) parentheſi mollit sententiam, quæ alioqui durior fuisset. In puluinaribus) Sub operto Bonæ deæ: est autem ampla & criminosa exaggeratio in uitam Clodij.

M. T. CICER.

Eum qui ciuem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac uitæ ciuium conſeruatorem iudicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum qui regna dedit, ademit: orbem terrarum quibuſcum uoluit partitus eſt: eum qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari uirtute & gloria ciuẽ, domum ui & armis compulit: eum cui nihil unquã nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret: eum denique cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli poſſeßionum termini: qui non calumnia litium, non iniuſtis uindicijs ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat.

BARTHOL. LATOMVS.

Qui ciuem) id eſt, me Ciceronem. Ademit) ſcilicet Ptolemæo regi, & Deiotaro. Voluit) ſcilicet cum Gabinio & Piſone. Cædibus in foro) De hoc in oratione pro Seſtio. Ciuem) Pompeium. Nec in facinore) Facinus hic ad malitiam, libido ad intemperantiam refertur. Memoriam) flagiciorum ſuorum. Tabulis publicis) quibus acta cenſorum continebantur. Eum denique) Attende uehementiam orationis. Calumnia litium) fraude & calliditate litigandi, ſiue callida & malitioſa iuris interpretatione. Vindicijs) litibus uindiciarium. Vindiciarum autem actione de rei poſſeſſione apud prætorem certabatur. Sacramentis) deſcriptionibus pecuniarum ad ſacrum. quod genus actionis ſponſio

sponsio uocabatur, quia ex sponsione nascebatur: nempe cum certa pecunia interposita litigabatur, uter rem qua de lis erat, obtineret: ea pecunia deponebatur ad sacrum & finito iudicio, is qui uicerat, suam pecuniam recipiebat: uicti autem relegabantur in ærarium, unde & sacramenta appellata.

Qui non solùm Hetruscos (eos enim penitus contempserat) sed hunc Cn. Pompeium uirum fortißimum, atque optimum ciuem, iudicem nostrum pellere possessionibus, armis, castrisq; conatus est: qui cum architectis & decempedis uillas multorũ, hortosq; peragrabat: qui Ianiculo & Alpibus spẽ possessionum terminabat suarum: qui cum ab equite Romano splendidißimo & forti uiro T. Paconio non impetrasset ut insulam in lacu Precio uẽderet, repẽte lintribus in eam insulam, materiam, calcem, cæmenta, atq; arma conuexit: domino trans ripam inspectante, non dubitauit ædificium extruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui uiro Dij immortales? (quid enim de muliercula Sanctia? quid de adolescente Apronio dico? quorum utrique mortem est minitatus, nisi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere si sibi pecuniam quantam poposcerat non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua inuidia huic esset tali uiro cõflagrandum, qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidelißima gratia, absentem de possessione fun-

di deiecit: qui parietem sic per uestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo uestibulo priuaret, sed omni aditu & lumine. Quanquam hæc quidem iam tollerabilia uidebantur: etsi æqualiter in Rempublicam, in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia. Quæ uerò aderant iam & impendebant, quo'nam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si id ille nactus esset? Omitto socios, exteras notiones, Reges, Tetrarchas (uota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quàm in uestras possessiones, uestra tecta, uestras pecunias) dico à liberis mediusfidius, & à coniugibus uestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi hæc putatis, quæ patent? quæ nota omnibus? quæ tenentur? seruorum exercitus illum in Vrbe conscripturum fuisse, per quos totam Rempublicam resq; priuatas omnium possideret? Quamobrem si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius. Adeste quæso, atq; audite ciues, P. Clodiũ interfeci: eius furores, quos nullis iã legibus, nullis iudicijs frenare poteramus, hoc ferro, & hac dextra à ceruicibus repuli: per me unum effectum est, ut ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia, in ciuitate manerent.

PRO MILONE.

BARTHOL. LATOMVS.

Cn. Pompeium) Videnum Q. Poperium legendum sit, quia Pompei nomen conuenire non potest. Decempedis) agri mensoribus. Ianiculo & Alpibus) id est. urbem Romam ad Alpes usque. Lintribus) nauiculis minoribus. Atque arma) ad prohibendum dominum, siue possessorem. Cui uiro) Amplificat à persona, antequam sententiam finiat. In domum) ac proinde religiosam domum facturum, ut ius domus periret. Res enim religiosæ nullius iuri sunt subiectæ. Qua inuidia) Videtur aliquid deesse. Quanquam hæc quidem) Correctio ad augendam contentionem eorum quæ sequuntur. adiungit enim etiam quæ facturus fuerit Clodius, si superuixisset. Nescio quomodo) Ad amplificationem pertinet. Percalluerat) callum duxerat. Quæ) καθ' ὑπόθεσιν refert ea quæ impendebant Reipublicæ si superuixisset Clodius. Imperium) Si prætor factus fuisset. Omitto) Præteritio. amplificandi causſa. Tetrarchas) Sic dicebantur qui regnis in quatuor partes diuisis præerant Mitteret.) Tanquam fera & belua. habet enim emphasim. Pecunias) Pecunias bis legendum est, ut sequatur. Pecunias dico: ut scilicet repetatur uerbum per correctionem. Fingi hæc) Adseueratio eorum quæ dicta sunt, ad confirmationem, per αἰτιολογίαν. Seruorum) Declarat. Quamobrem) Concludit per prosopopœiam inducta Milonis persona. A ceruicibus) id est, à uita uestra. Vt ius, æquitas) quæ scilicet omnia Clodius uiuus uiolarat.

Enimuero timendum quònam modo id factum ferret ciuitas? Nunc enim quis est qui non probet qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum Reipublicæ profuisse, maxima lætitia populum Romanum, cunctam Ita-

liam, nationes omnes adfeciſſe & dicat & ſentiat? Nequeo uetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia iudicare. Multas tamen iam ſummorum imperatorum clariſſimas uictorias ætas noſtra uidit, quarum nulla nec tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriæ Iudices, ſpero multa uos liberoſq; ueſtros in Repub. bona eſſe uiſuros. In his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis: uiuo P. Clodio nihil horum uos uiſuros fore. In ſpem maximam, & quemadmodum confido, ueriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ſummo uiro Conſule, concuſſa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus & iudicijs conſtitutis, ſalutarem ciuitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodio uiuo contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea quæ tenetis priuata atq; ueſtra, dominante homine furioſo, quod ius perpetuæ poſſeßiõis habere potuiſſent? Non timeo Iud. ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius hæc in illum euomere uidear, quàm uerius. Etenim etſi præcipuum eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, ut in communi odio penè æqualiter uerſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantũ exitij fuerit. Quin ſic attendite Iudices, nempe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodij. Fingite animis: liberæ enim ſunt cogita-

gitationes nostræ & quæ uolunt, si intuentur ut ea cernimus, quæ uidemus. Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meæ si possim efficere, ut Milonem absoluatis, sed ita, si P. Clodius reuixerit. quid uultu extimuistis? quò nam modo ille uos uiuus adfecerat, qui mortuus inani cogitatiõe percussit? Quid si ipse Cn. Pompeius, qui ea uirtute ac sapientia est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum: si is inquam potuisset, ut quæstionem de morte. P. Clodij ferre, sic ipsum ab inferis excitare: utrum putatis potius facturum fuisse? etiam si propter amicitiam uellet illũ ab inferis reuocare, propter Rempub. non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitã si putetis per uos restitui posse, nolitis: & de eius nece lata quæstio est, qui si eadem lege reuiuiscere posset, lata lex nũquam esset. Huius ergo interfector non esset etiam confitendo ab his impetraturus, ne pœnã timeret, quos liberauisset? Græci homines deorum honores tribuunt ijs uiris, qui Tyrannos necauerunt. Quæ ego uidi Athenis? quæ alijs in urbibus Græciæ? quas res diuinas talibus institutas uiris? quos cantus? quæ carmina? Prope ad immortalitatẽ & religionẽ & memoriam consecrantur. Vos tanti cõseruatorem populi, tãti sceleris ultorem, nõ modo honoribus nullis adficietis, sed ad supplicium rapi etiam patieminiꝰ

BARTHOL. LATOMVS.

Enimuero) Ironia, ut acrior sit sententia. Nunc enim) τυπικῶς recta, non figurata. habet autem uim testimonij. Nunc enim) Confirmatio ex approbatione & lætitia populi Romani, quam breuiter comparatione amplificat. Profuisse sublato ciue Clodio. Nequeo uetera) Auget læticiam populi Romani per comparationem. Victorias) ut Pompei & cæterorum Mandate hoc) Concludit. Spero multa) Excitat attentionem, & confirmat meliùs fore Reipublicæ, interfecto Clodio. Visuros) Clodio interfecto percepturos. metonymia ab oculis ad animum. Hunc ipsum annum) à tempore. Consule) Pompeio. Concussa) Debilitata. metaphora ab ædificijs, quæ concussionibus deijciuntur. Constitu.) ideſt, ordinatis & confirmatis. Num quis igitur) Subiungit adseuerationem. Arbitretur?) quasi dicat: Nemo Quid?) Auget ordinem, & inducit aliud membrum amplificationis, nempe de priuatis periculis & commodis. Non timeo iudices) Occupat, & remouet priuatæ adfectionis obiectionem. Etenim) Interpretatur odium, à persona Clodij. Non potest dici) Epiphonema Quin sic attendite) efficax ὑποθήκη ex contrarijs, quam tractat euidenter per imaginationem, colligendo metum Clodij in ipsis iudicibus. Huius conditionis) ideſt, fingite me posse efficere, ut absoluatis Milonem. Quid uultu extimuistis?) Fingit se animaduertere pallorem iudicum, Enthymema ex minori: Si mortuus horrorieſt Clodius, quanto magis si uiuus esset? Quid si ipse) Auget idem argumentum à persona Pompei. Etiam si propter Respondet per correctionem. Non fecisset) Non reuocasset. Eius igitur) Conclusio ex contrarijs. Lata quæstio est) ideſt, rogatio lata de quæstione, de iudicio: metonymicos. Huius ergo) Accommodat argumentationem ad causam & à dissimili exemplo amplificat ad indignitatem, Impetraturus) scilicet impunitatem. uehemens adseueratio. Græci homines) Ab exemplo Græcorum.

Est au

Est autem ex minori seu dissimili: Græci hæc faciunt igitur & uos debetis facere, uel: Si Græci, & cæt. Igitur uos iniquè facitis, si idem non facitis, & cæt. Deorum) id est, diuinos. Quæ) Explanat per admirationem. Religionem) diuinum numen. Ad supplciũ) quod indignissimum est.

Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter se fecisse libertatis omnium causa, quod certè ei non confitendum modò fuisset, uerumetiam prædicandum. Etenim *si id non negat ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda?* Nisi *uerò gratius putat esse uobis, sui se capitis, quàm uestri ordinis defensorem fuisse: cùm præsertim in ea confessone, si grati esse uelletis, honores adsequeretur amplissimos. Si factum uobis non probaretur* (*quanquam qui poterat salus sua cuiquam non probari?*) *sed tamen si minus fortissimi uiri uirtus ciuibus grata cecidisset, magno animo constanti'què cederet ex ingrata ciuitate. nam quod esset ingratius, quàm lætari cæteros, lugere eum solum, propter quem cæteri lætarentur? Quanquam hoc animo semper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis, ut quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque & inuidiam nostram putaremus.* Nam *quæ mihi contribuenda laus esset ipsi, cum tamen in Consulatu meo pro uobis ac liberis*

M. T. CICER.

uestris ausus essem: si id quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? Quæ mulier sceleratum ac pernicioſum ciuem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita inuidia, morte, pœna, qui nihilo segnius Rempub. defendit, uir uerè putandus est. Populi grati est, præmijs adficere benemeritos de Republi ciues: uiri fortis, ne supplicijs quidem moueri ut fortiter fecisse pœniteat. Quamobrem uteretur eadem confeßione T. *Annius, qua* Hala, *qua* Nasica, *qua* Opimius, *qua* Marius, *qua nosmetipsi: & si grata Respub. esset lætaretur, si ingrata, tum in graui fortuna conscientia sua niteretur.*

BARTHOL. LATOMVS.

Confiteretur, confiteretur) Exclamatio pathetica ex consequentibus, qua occurrens obiectioni ad insidiarum defensionem reuertitur. Quod certè ei) Obruit argumentatione rerum, & uerborum copia. Etenim) Argumentatio à maiori. Ex quo etiam præmia) Quia minus est uenia quàm præmium, ex minori uel comparatis per interrogationem format enthymema. Nisi uerò gratius) Occupatio per ironiam: Vestri ordinis) Senatorij, & optimatium. Si factum uobis) Altera pars complexionis. Ostendit autem reum causam mentiendi non habere, siue erga confitentem grati esse uellent, siue ingrati. Quanquam qui poterat) Hoc quia durius est, mollit interpoßita parenthesi. Sed tamen) Resumptio. Cecidisset, euenisset. Nam quid esset) Ex uisinitionis probat ciuitatem ingratam fore nisi meritum præmium Miloni persoluat. Luge

re) ar-

re) ἐντίθεσις, qua res fit acrior. Quanquam hoc animo) Correctio, qua redit ad animum Milonis, & docet eum magno & constanti animo confessurum esse si insidiator esset. Semper omnes) Facit caussam communem in opprimenda coniuratione. Nam quę mihi) Profert exemplum suum, ad confirmationem: ut probet fortes uiros æquo animo subire pericula. Laus esset) scilicet in opprimenda çoniuratione Çatilinæ. Dimicationibus) periculis, inuidia, &c. Quæ mulier) Alia probatio ex differentibus. Proposita inuidia) Epiphonema cum definitione fortis uiri. Populi grati est) Eandem sententiam iterat, & hoc distributiuè. Quamobrem uteretur) Concludit per exempla. Etsi grata) Repetit argumentationem. Conscientia) Præclari facinoris.

Sed huius beneficij gratiam Iudices, fortuna populi Romæ. & uestra fœlicitas, & Dij immortales sibi deberi putant. Nec uerò quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam uim cælestẽ existimat, numen'ue diuinum. quem neq; imperij uestri magnitudo, teq; sol ille, nec cœli & signorum motus, nec uicissitudines rerum atq; ordines mouent, neque id quod maximum est, maiorum sapientia: qui sacra, qui cæremonias, qui auspicia & ipsi sanctissimè coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est profectò illa uis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam quod uigeat, & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Nisi fortè idcirco non putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram

ipsam

M. T. CICER.

ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus, uidere, aut planè qualis, aut ubi ſit, ſentire poßimus.

PHILIP. MELANCHTH.

Nec uerò quiſquam, & cæt.) Locus communis, & eſt antecedens.

BARTHOL. LATOMVS.

Sed huius beneficii). Probauit hactenus à uita Clodij, item à contrario, mortem eius puniendam non eſſe. Probat deinceps à deorum uoluntate, quorum nutu ſit interfectus: nempe quod & rerum publicarum curam habeant, idq; Epicureus; & quòd illius ſceleribus offenſi. pœnam de ipſo ſumere tandem uoluerint, quibus argumentis, quanquam coniecturalibus, probat iure occiſum Clodium, & pertinet hic locus ad remotionem criminis, quo culpa remouetur à Miſone, & facti cauſſa confertur in deos. Sibi deberi) Non Miloni, quamuis manum adhibuerit. Nec uero quiſquam) Propoſuit rem. deinceps explanat & confirmat. Magnitudo) quæ eſt ex diuino beneficio. Quod maximum eſt) Amplificatio. Qui ſacra) Ratio à pietate: & dicuntur hæc omnia in Epicureos. Auſpicia) tanquam conſultationes diuinæ uoluntatis erga nos. Et eſt profectò) Confirmatio ex minore. Et eſt adſeueratiua particula. Atq; in hac) A natura humana. Niſi fortè) Occurrit imperitis hominibus, qui non credunt niſi uideant: & irridet. Perinde quaſi) Ex ſimili refutat errorem iſtum.

Ea uis, ea eſt igitur, quæ ſæpè incredibiles huic urbi fœlicitates atque opes attulit, quæ pernicicm extin-

extinxit ac ſuſtulit: cui primùm mentem iniecit, ut ui irritare, ferroq; lacesſere fortiſsimum uirum auderet: uinceretur q; ab eo, quem ſi uicisſet, habiturus esſet impunitatem & licentiam ſempiternam. Non est humano consilio, nec mediocri quidem Iudices deorum immortalium cura res illa perfecta. Religiones me hercule ipſæ, aræq; cùm illam beluam cadere uiderũt, commouisſe ſe uidentur, & ius in illo ſuum retinuisſe. Vos enim albani tumuli atque Lucí, uos inquã imploro atque obteſtor, uosq; Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romã. ſociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratisq; ſanctiſsimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: ueſtræ tum aræ, ueſtræ religiones uiguerunt, ueſtra uis ualuit, quam ille omni ſcelere polluerat. Tuq; ex tuo edito monte Latialis ſanctè Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesq; ſæpè omni nefario ſtupro & ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti. Vobis illæ, uobis ueſtro in conſpectu ſeræ, ſed iuſtæ tamen & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt. Niſi fortè hoc etiam caſu factum eſſe dicimus, ut ante ipſum ſacrariũ Bonæ deæ, quod est in fundo T. Seſtij Galli, in primis honeſti & ornati adoleſcentis, ante ipſam inquam Bonam deam, cùm prælium commiſiſſet, primùm illud uulnus, acceperit, quo teterrimam mortem obiret: ut non abſolutus

M. T. CICER.

ſolutus iudicio illo nefario uidcretur, ſed ad hanc inſignem pœnam reſeruatus:

PHILIP. MELANCHTH.

Quæ illam perniciem extin.) Conſequens. Religiones me hercule) Signum, probatio antecedentis. Niſi forte hocetiam caſu) Secundum ſignum.

BARTHOL. LATOMVS.

Ea uis) Concluſio. Quæ illam perniciem) Argumentum ex cauſa finali: Si ea uis diuina eſt, ergo uoluit Clodium perire: & deſcribit quomodo perijt. Non eſt humano conſilio) Exclamatio ad amplificationem præcedentis argumentationis, quam tractat ex eodem loco, & inſectatione uitæ Clodianæ. Religiones) Addit alia argumenta coniecturæ: & citat teſtes ipſas aras & tumulos, per inuocationem. Vos enim) Erumpit iam liberius. Albani tumuli) qui imminebant Appiæ uiæ, in qua Clodius occiſus fuit. Obrutæ aræ) Ex hiſtoria hoc pendet. Alba enim diruta, hæc omnia Romam tranſlata ſunt. hinc Vergil. illud, Albanique patres, &c. Latialis) quod Latio præeſſet. Erat autem in monte Albano, cui quotannis Latinis feriis populus Roma. ſacrificabat. Aperuiſti) Subiungit cauſſam. Vobis ueſtro) Ceminatio adfert uehementiam orationi. Niſi forte hoc etiam) Ironica occupatio, qua admiſcet argumenta à loco cædis, & funere Clodiano. In fundo) Argumentum coniecturæ à loco. Vulnus) à gladiatore uno Milonis inflictum. Iudicio illo) quod ſubierat propter pollutas cæremonias, abſolutus à corruptis iudicibus, quos in quadam epiſtola Cicero cõſtupratos uocat.

Nec uerò non eadem ira deorum hanc eius ſatel

litibus

litibus iniecit amentiã, ut ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequijs, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quã concedere etiam inimici ſolent, ambureretur etiam abiectus. Non fuiſſe credo fas, clariſſimorum uirorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris adferre. nec ullo in loco potius mortem eius lacerari, quàm in quo uita eſſet damnata. Dura mihi mediusfidius iam fortuna populi Roma. & crudelis uidebatur, quæ tot annos illum in hanc Rempublicam inſultare uideret, & paterctur. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: Senatus, grauiſſima decreta perfregerat: pecuniã ſe palàm à iudicibus redemerãt: uexarat in Tribunatu Senatum: omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reipublicæ geſta reſciderat: me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam uexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magiſtratuum priuatorumq; cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: uaſtarat Hetruriam: multos ſedibus ac fortunis eiecerat: inſtabat, urgebat: capere eius amẽtiam ciuitas, Italia, prouinciæ, regna non poterant.

PHILIP. MELANCHTH.

Dura mihi mediusfidius) Amplificatio: Nemo potu-

M. T. CICER.

potuit eum reprimere, ergo dij aliquando repreſſerunt ad ſalutem Reipublicæ.

BARTHOL. LATOMVS.

Nec uerò non) Aliud argumentum ex funere Clodij. Cantu) ſcilicet funebri. Funere) id eſt, pompa funeris. Oblitus) fœdatus, à lino. Non fuiſſe credo) Exclamatio, qua dictorum cauſſam adfert, cur his ornamentis priuatus fuerit. Formas) imagines quæ preferebantur. Lacerari) Odioſum uerbum, pro comburi, ſiue cremari, in foro autem crematus eſt ubi ob uicia ſua etiam condemnatus eſt. Dura mihi) Redit ad uitam Clodij, quam denuo graui criminatione exaggerat, ut dijs illum fuiſſe inuiſum oſtendat. Inſultare) Velut victorem in victos, cum quadam exprobratione odioſum uerbum. Polluerat ſtupro) Breui enumeratione inſectatur Clodij ſcelera. Multum antem ponderis adfert, occiſum eſſe hominem talem, tamq; pernitioſum. Reſciderat) pulſo Cicerone, & intentandis actis Pompei. Nefarium bellum) id eſt, inimicitias, inſidias, oratoria auxeſis. Magiſtratuum priuatorumq;) ſcilicet in foro, cùm rogatio ferretur de Cicerone reuocando. Fratris) Quinti. Eiecerat) ut Coloniam nouam conderet. Ciuitas, Italia) Incrementum.

Incidebantur iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent. Nihil *erat cuiuſquam, quod quidem ille adamaſſet, quod nõ hoc anno ſuum fore putaret. Obſtabat eius cogitationibus nemo, præter illum Milonem ipſum, qui poterat obſtare. Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quaſi deuinctum arbitrabatur: Cæſaris potentiam, ſuam potẽtiam eſſe dice-*

dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contempserat. Milo unus urgebat. Hic dij immortales, ut supra dixi, mentem dedèrunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias: aliter perire pestis illa non potuit: nũquam illum Respublica suo iure esset ulta. Senatus credo Prætorem eum circumscripsisset. Ne cùm solebat quidem id facere in priuato eodem hoc, aliquid profecerat. An Consules in Prætore coërcendo fortes fuissent? primùm Milone occiso habuissent suos Coss. deinde quis eo Prætore Consul fortis esset, per quem Tribunum uirum Consularem crudelissimè necatum esse meminisset? Omnia possideret, teneret: lege noua, quæ est inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis: seruos nostros libertos suos fecisset. Postremò nisi eũ dij immortales in eam mentem impulissent, ut homo effœminatus fortissimum uirum conaretur occidere, hodie Rempublicam nullam haberetis. An ille Prætor, ille uerò Consul (si modo hæc templa, atq; ipsa mœnia stare eo uino tam diu, & consulatum eius expectare potuissent) ille denique uiuus mali nihil fecisset, qui mortuus uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce curiam incenderit? Quo quid miserius? quid acerbius? quid luctuosius uidimus? templum sanctitatis amplitudinis, mentis, consilij publici, caput Vrbis, arã sociorum, portum omnium gentium, sedem ab uni-

uerſo populo Romano conceſſam uni ordini, inflammari, excindi, funeſtari? neque id fieri à multitudine imperita (quanquam eſſet miſerum idipſum) ſed ab uno, qui cum tantum auſus ſit ultrò pro mortuo, quid ſignifer pro uiuo non eſſet auſus? Incuriam pectiſsimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam uiuus euerterat. Et ſunt qui de uia Appia queruntur, taceant de curia? Et quando ab eo ſpirante forum potuiſſet defendi, cuius non reſtiterit cadaueri curia? Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, à mortuis: frangetis impetum uiui, cuius uix ſuſtinetis furias inſepulti? niſi uerò ſuſtinuiſtis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Caſtoris, cum gladijs toto foro uolitarunt. Cædi uidiſtis populum Romanum, concionem gladijs diſturbari, cum audiretur ſilentio M. Cæcilius Trib. pleb. uir fortiſsimus, & in ſuſcepta cauſſa firmiſsimus, & bonorum uoluntati & autoritati Senatus deditus, & in hac Milonis ſiue inuidia, ſiue fortuna, ſingulari, diuina & incredibili fide.

BARTHOL. LATOMVS.

Incidebantur) in æs, antequam à populo probarentur: id quòd arrogantiæ erat. Domi) P. Clodij. Intelligit autem legem Clodij, qua libertini in ruſticis etiam tribubus ſuffragia ferrent, non minus quam in urbanis. erant autem tribus ruſticæ propriè ingenuorum, & alijs multò digniores. Noſtris ſeruis) pro Liberti-

Libertinis, omnia odiose. Hoc anno) sequenti, quo futurus erat prætor. Obstabat eius) Concludit argumentationem, & interim ad coniecturam insidiarum respicit. Habet enim hic locus uim epilogi usque ad perorationem. Cogitationibus) consilijs. Cn. Pompeium) Probat enumeratione, quod de Milone dixit. Suam potentiam esse) id est, secum sentire Cæsarem. Meo casu) id est, exilio. Hic Dij immortales) Redit ad argumentationem exclamando, & locum amplificationis concludit, omnia autem spectant ad probandum diuinum consilium. Nunquam illum) Adiungit coniecturam. Clodium aliter perire non potuisse. Credit) ὑφωνεία. Circumscripsisset) id est, coercuisset, potestatem minuisset: quanquam paulò mitius est uerbum hoc. Circumscribimus enim decretis & edictis: coërcemus ui. Intelligit autem diminutionem potestatis prætoriæ. In priuato) Ex minori. Si priuatus coërceri non potuit à Senatu, minus igitur cum potestate coercebitur. Consules) Scipio & Hipseus. Primùm Milone) Facit argumentorum partitionem. Tribunum) Intelligit forte Vibienum senatorem, qui in turba interfectus est, cum Cicero abiret. nisi malis legere Tribunitium, ut Clodium intelligat: sicut per Consularem Milonem, aut potius intelligit Ciceronem, hoc est, seipsum: sed tunc pro necatum, legendum erit Iectum. atque ita magis historiæ quadrabit, & recte Tribunum legeris. Virum consularem) scilicet Ciceronem. Omnia possideret) Epiphonemate concludit, & mox addit futura etiam scelera Clodij, nisi numine deorum oppressus esset. Itaque amplificat per contentionem ex minori. Lege noua) Quæ lex fuerit, non constat: nisi fortè eandem intelligit, de qua antea dixit. Effœminatus) impar uirtuti Milonis. An ille prætor) Confirmatio ex morte Clodij, per comparationem à minori. cæterum interrogationibus grauius instat. Si modo) Corrigendo exaggerat. Quo quid miserius?) Delabitur ad indignationem, quam uehementer tractat & auget ex

circumstantijs. Mirè autem confert inuidiam in Clodium, quamuis defunctum, & amplificat ex incendio curiæ. Templum. sanctitatis) A templo , & loci dignitate. Amplitudinis) amplissimi ordinis Senatorij. Arā sociorum) id est , profugium . nam socij adfecti iniuria Romam confugiebant ad Senatum, & inde petebant præsidium suarum calamitatum. Inflammari, excindi) Auxesis. Funestari) Hoc dicit propter cadauer Clodij. Neque) Auget indignitatem à persona. A b uno) Clodio, qui dux funeris erat & concitauerat multitudinem contra Senatum & Milonem. Quid signifer) Ex maiori. Abiecit) odiosè, pro intulit. Et sunt qui de uia) Amara indignatio, qua occurrit obiectioni accusatorum. Forum id est, iudicia & leges per metonymiam, id est, quæ in foro tractantur. est autem enthymema ex repugnantibus, non re, sed uerbis . Excitate, excitate eum) Concessio insultantis per exclamationem, ἐπφωνη-μᾶς. Furias insepulti) Significanter dictum, quasi furiæ adhuc uexent Rempublicam, quamuis defuncto Clodio est'q; argumentum ex minori. Insepultum autem uocat, quia non fuit crematus. Nisi uerò) Occupatio. Qui cum facibus) Hæc facta sunt cum ardente curia Milo redijsset in urbem, & à M. Cælio Tribun. pleb. in concionem productus fuisset . nam concionem Clodiana turba, magna cæde facta, disturbauit. Cum falcibus) scilicet messorijs, cum arma deessent, qua de re etiam Asconius. Volitarunt) discurrerunt ad persequendum Milonianos. Vir fortissimus) Obiter laudat Cælium. Singulari) ad fidem refertur, non ad fottunam.

Sed iam satis multa de caussa, extra caussam etiam nimis fortasse multa. Quid restat? nisi ut orem, obtesterq; uos Iudices, ut etiam misericordiam tributis fortissimo uiro, quam ipse non implorat: ego autem repugnante hoc, imploro & exposco. Nolite, si

te, si in uestro omnium fletu nullam lachrymam aspexistis Milonis, si uultum semper eundem, si uocem, si orationem stabilem, ac nõ mutatam uidetis: hoc minus ei parcere. Atque haud scio, an multò etiam sit adiuuandus magis. Etenim si in gladiatorijs pugnis, & infimi generis hominum conditione atq; fortuna, timidos & supplices, & ut uiuere liceat obsecrantes etiam odisse solemus: fortes, & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes, seruare cupimus: eorumq; nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortißimis ciuibus facere debemus? Me quidem, Iudices, exanimant & interimunt hæ uoces Milonis quas audio assiduè, & quibus interfum quotide. Valeant, inquit, ualeant ciues mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati, stet hæc urbs præclara, mihiq; patria charissima, quoquo modo merita de me erit. tranquilla Republica ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atq; abibo. si mihi Republica bona frui non licuerit, at carebo malis: & quamprimum tetigero bene moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquiescam. O fru stra, inquit, suscepti mei labores. O spes fallaces: O cogitationes inanes meæ. Ego cum Tribunus pleb. Republica oppressa me Senatui dedissem, quem ex-

M. T. CICER.

tinctum acceperam: equitibus Romanis, quorum uires erant debiles: bonis uiris, qui omnem autoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi unquam bonorum præsidium defuturum putarem? Ego cum te (mecum enim sæpissimè loquitur) patriæ reddidissem, mihi non futurum in patria putarem locum? Vbi nunc Senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiæ uoces? ubi denique tua Mar. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, uox & defensio? mihi'ne ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec uerò hæc Iud. ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur uultu, quo uidetis. Negat enim, negat ingratis cinibus feciſſe, quæ feciſſet: timidis, & omnia circumspicientibus pericula, non negat.

PHILIP. MELANCHTH.

Sed iam satis, &c. Peroratio tantum habet adfectus, uidelicet deprecationem: quam tamen transfert in suam personam, ne Milo uideatur aut imbecillior animo, aut parum caussæ confidere. ac prima ratio deprecationis sumpta est ex meritis Milonis, & aptè fingit Milonem commemorantem merita, & leuiter querentem de ingratitudine ciuium: deinde consulentem se ex loco communi, uidelicet ex officio uiri fortis, satis magnum præmium auferre gloriam huius facti. Reliqua pars habet querelam Ciceronis, quanto cum dolore amissurus sit Milonem: postea argumentatur à Milo-

Milonis meritis erga ipſum. Tertio allegat ſua merita, & ſibi Milonem condonari petit. Extrema clauſula eſt, dignum eſſe Milonem, qui propter uirtutẽ retineatur. Niſi ut orem, &c.) Deprecatio, quam transfert in ſuam perſonam. Valeant, inquit, & cæt.) Querela Milonis de ingratitudine ciuium. Ego cum Trib. pleb. & cæt. Commemoratio meritorum.

BARTHOL. LATOMVS.

Sed iam ſatis) Peroratio, quæ conſtat deprecatione cum magno adfectu & uehementia, De cauſſa) id eſt, crimine inſidiarum. Cauſſam) de uita Clodij. Propria enim cauſſa eſt crimen inſidiarum: extra cauſſam uerò comparatio criminis, Satius eſſe occiſum Clodium ciuem pernitioſum, &c. Nolite ſi in ueſtro) Propoſitio. Quia autem præfracto Milonis animo uidebantur offendi iudices, mire inuidiam contumaciæ conuertit in laudem fortitudinis, atque inde aliis quoque argumentis additis mouet commiſerationem magna ui & commoditate orationis. Nam primò agit placatius, pro habitu animi paulatim moueri incipientis: deinde liberiùs erumpit, atque ardet uehementius, donec ſummos doloris adfectus occuparit. Etenim) Probatio ex minore. Eorumq;) Repetit eandem ſententiam. Quanto) Redditio. Me quidem) Erumpit liberius in adfectum, & inducit Milonem æquo animo fortunam ſuam ferentem: quo ſcilicet uirtutem eius & conſtantiam exprimat. in quibus primò æquanimitatem in caſu ſuo oſtendit Milo, cum ſingulari charitate patriæ coniunctam: dum optat ut illa ſit ſalua, quamuis ipſe expellatur: mox merita ſua commemorando, fortunam accuſat. Tranquilla) ob mortem P. Clodij. Liberam ciuitatem) Maſſiliam intelligit: in ea enim exulauit. O fruſtra, inquit) Exclamat liberius etiam, & fertur in dolorem plenis (ut aiunt) uelis, ad mouendam, commiſerationem, merita ſua erga Rempublicam commemorans,

morans. O spes) Exclamatio fortunam accusantis. Ego cum tribunus) Dicit se grauia passum in Tribunatu ut defenderet Rempublicam contra furorem P. Clodij. Oppressa) à P. Clodio. Ego cum) Enthymema. Si ille locum habet in urbe qui restitutus est, quanto magis habere debet qui restituit? Vbi nunc) Obiter conqueritur se desertum à Senatu. Illi, illi) Obliqua exprobatio beneficij, & non solùm amplificat, sed confirmat etiam rem illa geminatio. Voces) Sermones. Mihi ne ea) Cum commiseratione pronunciandum est, & dolore. Nec uerò hæc) Occurrit inuidiæ flebilioris querelæ, ne nimis impotenter dolendo, ingratitudinem exprobrare uideatur. Vultu) scilicet immutato. Negat enim se) Explanatio est præcedentis, & redit ad personam suam, & tum animum Milonis, tum beneficia in Rempublicam commemorat.

Plebem & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis uestris imminebat, eam, quo tutior esset uita uestra, se fecisse commemorat, ut non modò uirtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deliniret. Nec timet ne cũ plebem muneribus placarit, uos non conciliarit meritis in Rempubli. singularibus. Senatus erga se beneuolentiam tempo ribus his ipsis sæpè perspectam: uestras uerò, & uestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcunq; casum fortuna dederit, secum ablaturũ esse dicit. Meminit etiam sibi uocem præconis modò defuisse, quam minimè desiderat: populi uerò cunctis suffragijs, quod unum cupierit, se Consulem declaratum: nunc denique sibæc arma contra se sint futura

futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit hæc, quæ certè uera sunt, fortes & sapientes uiros non tam præmia sequi solere rectè factorum, quàm ipsa rectè facta. Se nihil in uita nisi præclarissimè fecisse, si quidem nihil sit præstabilius uiro, quàm periculis patriam liberare. beatos esse, quibus ea res honori fuerit à suis ciuibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio ciues suos uicerint. Sed tamen ex omnibus præmijs uirtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium gloriam: esse hanc unam, quæ breuitatem uitæ, posteritatis memoria consolaretur: quæ efficeret, ut absentes adessemus mortui uiueremus.

PHILIP. MELANCHT.

Addit hæc quæ certè, & cæt.) Consolatio ex loco communi. Nec uerò si mihi eriperis, & cæt.) Querela Ciceronis propria, quanto cum dolore amittat Milonem.

BARTHOL. LATOMVS.

Plebem & infimam) Obiter respicit ad caussam, & remouet inuidiam largitionis in plebem factæ. Hanc autem largitionem fecerat statim post interfectum Clodium, quæ res magnam inuidiam Miloni adferebat: Commemorat) apud me. Patrimonijs paterno, materno, & eo quod à C. Annio auo materno acceperat, à quo fuerat adoptatus. Delimiret) mulceret, placaret, sedaret. Senatus erga se) Refert consolationem Milonis. Vestras) à studijs ordinum.

Argumentum ex iudicio & existimatione populi de Milone. Occursationes) Quæ fiunt honoris causſa, id est, beneuolentiæ ac studiorum significationes. Occursamus enim illis quos amamus, quorumq; uitam ac mores comprobamus. Secum se ablaturum) id est, se expertum esse. Synecdoche: ex consequentibus præcedens intelligitur. Meminit etiam) A suffragio consulatus. Vocem præconis) in renunciatione Consulatus. Suspicionem) Largitionis: & simul inuidiam eius purgat. Addit hæc quæ) Ex habitu animi ad uirtutem omnia reuocantis. Largitiones autem factas intelligit, quasi eas Milo fecisset ad corrumpendum populum. nam eius quoque rei inuidia premebatur. Præmia) honores & magistratus. Ea res) quòd patriam liberarit à periculo. Vicerint) qui nulla beneficia acceperint honorum. Sed tamen) Ex gloriæ amplitudine, quam amplificat in Milone, per locum communem.

Hanc denique esse, cuius gradibus etiã homines in cœlum uideantur ascendere. De me, inquit, semper populus Rom. semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet uetustas. Quin hoc tempore ipso, cum omnes à suis inimicis faces inuidiæ meæ subijciantur, tamen omni in hominum cœtu gratijs agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur. Omitto Hetruriæ festos & actos & institutos dies. Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij, & ut opinor, altera: qua fines imperij populi Romani non solùm fama iam de illo, sed etiam lætitia peragrauit. Quamobrem ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro: quoniam omnibus in

terris

terris & iam uersatur, & semper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum sæpe his absentibus: sed ijsdem audientibus, hæc ego tecum Milo. Te quidem quod isto animo es, satis laudare non possum: sed quo est illa magis diuina uirtus, eò maiore à te dolore diuellor. Nec uero si mihi eriperis, reliqua est illa tamen ad consulendum querela, ut his irasci possim, à quibus tantũ uulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi: non malè aliquando de me meriti, sed optime. Nullum unquam Iudices mihi tantum dolorem inuretis: etsi quis potest esse tantus? sed ne hunc quidem ipsum, ut obliuiscar, quanti me semper feceritis: quæ si uos cœpit obliuio, aut si me aliquid offendistis, cur non id meo capite potius luitur, quàm Milonis?

PHILIP. MELANCHTH.

Nec uerò si mihi eriperis, & cæt.) Querela Ciceronis propria, quanto cum dolore amittat Milonem.

BARTHOL. LATOMVS.

De me inquit) Relabitur in προσωποποιίαν, & opinionem Milonis de gloria ostendit: Quia fortes uiri sicut contenti sunt gloria, ita honestè iam prædicare solent. Quin hoc tempore) A circumstantia temporis etiam auget. Faces inuidiæ) Significanter & ornatè dictum ad amplificationem. Metaphora ab incendio, est autem inuidiæ datiuus. Omitto) Commemo-

memorat quam gloriam habebat apud exteros. Institutos dies) ob interfectum Clodium. Laboro) curo. Hæc tu mecum) Ad suam personam nunc redit, ne quid intentatum relinquat. Te quidem) Conuertit se ad Milonem, & initio placatius loquitur: deinceps uerò erumpit uehementius, & querelam inducit ad commiserationem. Eriperis) condemnaris, in exilium eijceris. Vulnus) condemnationem. Non enim) Declarat quod dixit. Amicissimi) Ad misericordiam pertinet. Nullum) Erumpit liberius in adfectum. Inuretis) Metaphora à stigmatibus, quæ seruis fugitiuis inurebantur. Obliuio) scilicet uestrorum in me beneficiorum, maximè reditus mei.

Præclarè enim uixero, si quid mihi acciderit, prius quàm hoc tantum mali uidero Nunc me una *consolatio sustentat, quòd tibi ô T. Anni nullum á me amoris, nullum studij, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetiui: ego meum sæpè corpus & uitam obieci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te supplicem obieci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli. Hoc denique ipso die, si qua uis est parata, si qua dimicatio capitis futura, deposco. Quid iam restat? quid habeo? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? nisi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, duram meam? Non recuso, non abnuo: uosq; obsecro Iudices, ut uestra beneficia quæ in me contulistis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occa-*

occasura esse iubeatis. His lachrymis non mouetur Milo: est quodam incredibili robore animi septus: exilium ibi èsse putat, ubi uirtuti non sit locus: mortem, naturæ finem esse, nõ pœnam. Vir hic ea mente, qua natus. Quid uos Iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipsum eijcietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc uirtutem excipiat, quàm hic, qui procreauit? Vos, uos appello fortissimi uiri, qui multum pro Repub. sanguinem effudistis: uos in uiri & in ciuis inuicti appello periculo Centuriones, uosq; milites: uobis non modò inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio præsidẽtibus, hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eijcietur?

BARTHOL. LATOMVS.

Preclarè) Epiphonematicῶs caussam subdit, cur ipse se puniri quàm Milonem malit. Nunc me) Consolatio. Commemorat autem charitatem Milonis, propter summa in se beneficia, ut dolorem amplificet. Milo enim autor fuerat reditus Ciceronis. Defuit) Significat se omnia illi exhibuisse, in hoc præsertim iudicio. Potentium) Pompeium in primis intelligit. Supplicem) id est, plurimos pro te supplex orauí. Vis est parata) à Clodianis. Depoſco) id est, paratus sum. Quid iam restat?) Dubitatio pathetica, quasi deficientis, & uelut consumptis iam omnibus, quæ animi sui amplificationem faciunt. Non recuso) Exclamatio. Erumpit autem ex impetu doloris, & uiolentius deprecatur. Non abnuo) scilicet ut peream cum Milone. Augeatis) id est, ampliora faciatis. Oc

casu-

casura) Hæc est uelut i uiolenta deprecatio. His lachrymis) Occurrit inuidiæ Milonis, cuius constantiam miratur, quod ita parum commoueatur. Septus) firmatus, munitus. Locus) Omne solum forti uiro patria Quid uos Iudices?) Appellat clementiam iudicum, & auxilium circumstantis coronæ implorat. in quo uide quomodo in adfectu etiam ad caussam respiciat. nam idcirco mouet iudices, ut eripiat Milonem: & indignitatem damnationis ostendit. Hanc uirtutem) Milonem fortissimum uirum. Vos, uos appello) Implo-ratio uehemens ad circumstantem coronam. Præsentibus) id est, iudicium defendentibus, præsentibus ad auxilium.

O me miserum, O me infelicem: Reuocare tume in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q frater, qui nunc abes, consorti mecum tẽporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille seruasset? at in qua caussa non potuisse? quæ est grata gentibus. à quibus non potuisse? ab his qui maximè P. Clodij morte acquieuerunt. Quo deprecante? me. Quod nam concepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi Iudices? cum illa iudicia communis exilij indagaui, patefeci, protuli, extinxi: omnes in me meosq; redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem esse uoluistis? an ut inspectante me expellerentur ij per quos essem restitutus? Nolite, obsecro uos,

uos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab ijs per quos restitutus sum, Vtinã dij immortales fecissent (pace tua patria dixerim: metuo enim ne scelerate dicã inte, quod pro Milone dicã piè) ut P. Clodius nõ modò uiueret, sed etiã Prætor, Consul, Dictator esset, antequã hoc spectaculum uiderẽ. O dij immortales fortem, & à uobis Iudices, conseruandum uirum. Minimè, minimè, inquit, imò uerò pœnas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine uir patriæ natus, usquam nisi in patria morietur? aut si forte pro patria huius uos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? Hunc sua quisquam sententia ex hac Vrbe expellet, quem oẽs urbes expulsum à uobis ad se uocabunt? O terram illã beatam, quæ hunc uirum excepe rit: hanc ingratã, si ieiecerit: miseram, si amiserit.

PHILIP. MELANCHTH.

Reuocare tu me in &c.) A meritis Milonis. Quod nam concepi tantum, &c.) A suis meritis. Imò uerò pœnas, &c.) Correctio ex loco honestatis. Hiccine uir, & cæt.) Clausula. Milo dignus est propter uirtutem, ut retineatur.

BARTHOL. LATOMVS.

O me miserum) Relabitur ad conquestionem. Rursus enim æstuat dolor, dum subit meritorum Milonis

Ionis recordatio. nam uario motu erumpit oratio pro habitu animi perturbati, & tanquã fluctibus modò in hanc, modo in illam partem iactatur. Per hos) scilicet iudices. Quid tibi Q. frater) Apostrophe ad absentem. erat enim in Gallia cũ Cęsare. Cõsorti) socio. Mc) ἐμφατικῶς, id est Ciceronem, qui sæpe Rempublicam seruaui. At in qua caussa) Indignitas ex circũstantijs. Quodnam) Iterum exclamat, renouat dolorem, dum se causam esse cogitat periculi Milonis propter reditũ suum & inimicitias Clodianas. Indicia) Cantilinæ coniurationis. Omnes in me) ἐπιφωνημα. Quid me reducem) Amplificat à suo reditu. Nolite) Ratio ex repugnantibus. Nam qui) Explanat. Ex repugnantibus ratio. Vtinam) Optat quod sibi acerbissimum foret, ex quo doloris uehementiam ostendit. Pace tua) παρηγορία mitigat. Odij immortales) Iterum admiratur Milonem, quò iudices flectat. Minime, minime) Inducit loquentem. Hiccine uir) Ex persona sua. Monimenta) memoriam Milonis. Corporis) Ex minori. Hunc sua) Ex contrarijs. O terram illam) Præ dolore abrumpit orationem, quem sustinere amplius non potest.

Sed finis sit: neq; enim præ lachrymis loqui possum, & hic se lachrymis defendi uetat. Vos oro obtestorq; Iudices, ut in sententijs ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram uirtutem, iusticiam, fidẽ (mihi credite) is maximè probabit, q in iudicibus legendis optimum & sapientissimum quenq; legit.

BARTHOL. LATOMVS.

Sed finis sit) Lachrymæ uocem intercludunt, ut loqui amplius nequeat. Vos oro obtestorq;) Extrema admonitio ad iudices, qua cohortat ut liberè pronuncient, & est abrupta conclusio.

FINIS.

Q. ASCO-

Q. ASCONII PAEDIANI IN EANDEM, ARGVMENTVM.

Hanc dixit Cn. Pompeio III. Cos. ad VI. Idus April. Quod iudicium cũ ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis quæ circum forum sunt, collocatũ à Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex hac oratione, & annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur De optimo genere oratorum.

ANnius Milo, & P. Plautius Hipseus, & Qu. Metellus Scipio consulatum petierunt, non solùm largitione palã profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni & Clodio summæ erant inimicitiæ, quod & Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoq; eo enixè operam Reipub. dederat: & P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoq; summè studebat Hipseo & Scipioni contra Milonem, ac sæpẽ inter se Milo & Clodius cum suis factionibus Romæ depugnauerant, & erat uterque audacia par, sed Milo pro melioribus partibus stabat. Præterea in eundem annum Consulatum Milo, Clodius Præturam petebat: quam debilem futuram Cos. Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent comitia Consularia, perficiq; ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mense Ianuario nulli dum neq; Consules, neq;

Prætores essent: traheretuŕq; dies eodem, quo antea modo dum Milo quam primum comitia confici uellet, conficeret́q; cum bonorum studijs, quod obsistebat Clodio, tum etiam populo propter effusas largitiones, impensas quóq; ludorum Scenicorum, ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eũ Cicero significat, Competitores eius trahere uellent, ideóq; Pompeius gener Scipionis & Lucius Numatius Trib. pleb. referri ad Senatum de patricijs conuocandis, qui Interregem proderẽt, non essent passi, cum Interregem prodere moris esset ad III. Calend. Febr. (acta etenim magis sequenda, & ipsam orationem quæ actis congruit puto, quã Fenestellam, qui ad IIII. Calend. Febr. tradit.) Milo Lanuuium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus est ad Flaminem prodendum. Postera die occurrit ei circa horam nonam Clodius, paulo ultra Bouillas, rediens ab Aricia, propè eum locum in quo Bonæ Deæ sacellum est. Erat autem allocutus Decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo, serui xxx. fere expediti (ut illo tẽpore mos erat iter facientibus) gladijs cincti sequebantur: erant cum Clodio preterea tres comites eius ex quibus Eques Romanus unus C. Cassinius Schola: duo de plebe noui homines. Milo rheda uehebatur cum uxore Fausta filia L. Syllæ dictatoris, & M. Fusio

famo

familiari suo. Sequebatur eos magnum seruorum agmen, inter quos gladiatores quoq; erant: ex quibus duo noti, Eudamus & Birria: hi in ultimo agmine tardius euntes, cum seruis P. Clodij rixam commiserunt: ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum eius Birria rhomphæa traiecit: inde cũ orta esse pugna, Plures Miloniani adcurrerũt. Clodius uulneratus in tabernam proximam Bouillano delatus est. Milo ut cognouit uulneratum Clodium, cùm sibi periculosius illud etiam uiuo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset pœna, exturbari tabernam iußit. Fuit antesignanus seruorum eius M. Saupheus. atq; ita Clodius latens extractus est, multisq; uulneribus confectus, cadauer eius in uia relictũ (quia serui Clodij aut occisi erant, aut grauiter saucij latebant.) Sex. Tedius Senator, qui fortè ex rure in urbẽ reuertebatur, sustulit, & lectica sua Romam ferri iußit: ipse rursus eodẽ unde iam uenerat, recepit sese. Perlatũ est corpus Clodij ante primam noctis horam: infimæq; plebis, & seruorum maxima multitudo, magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti inuidiam uxor Clodij Fuluia, quæ cùm effusa lamentatione uulnera eius ostẽdebat: maior postera die, luce prima, multitudo eiusdẽ generis confluxit,

complureſq; noti homines eliſi ſunt, inter quos C. Vibienus Senator erat. Domum Clodij, ante paucos menſes emptam de M. Scauro in Palatio eodem Numatius Plancus frater L. Planci oratoris, & Qu. Pompeius Ruffus Syllæ Dictatoris ex filia nepos Trib. Pleb. accurrerũt: eisq; obſtantibus, uulgus imperitum corpus nudum caldatum, ſicut in lecto erat poſitum, ut uulnera uideri poſſent, in forũ detulit & in Roſtris poſuit. Ibi pro concione Plancus & Pompeius, qui competitoribus Milonis ſtudebãt, inuidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sex. Clodio ſcriba corpus P. Clodij in Curiam intulit, cremauitque ſubſellijs, & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum: quo igne & ipſa quoq; Curia flagrauit: & item Porcia Baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt. Domum quoq; M. Lepidi Interregis (is enim Magiſtratus Curulis erat creatus) & abſentis Milonis ædem illa Clodiana multitudo oppugnauit. Deinde ſagittis repulſa eſt, tum faſces ex Lecto Libitinæ æratos attulit ad domũ Scipionis, & Hipſei, deinde ad hortos Cn. Pompei, clamitans eum, modò Cos. modò Dictatorem. Incendium Curiæ maiorem aliquanto indignationem ciuitatis mouerat, quàm interfectio Clodij. Itaq; Milo, quem opinio fuerat iuiſſe in uoluntarium exilium, inuidia aduerſariorũ recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incẽſa erat

Curia:

Curia: petebatq; nihilo deterius Consulatum. apertè quoq; tributim in singulos mille assium dederat cœnationem, & Post aliquot dies dedit M. Cælius Trib. pleb. Accitus ipse etiam caussam, etiam ad populum dicebat uterq; Miloni à Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alij ex alijs Interreges, quia comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus, & easdem manus armatas haberi nõ poterant. Itaq; primo factum erat S. C. ut Interrex, & Trib. pleb. & Cn. Pompeius, qui Procos ad urbem erat, uiderent, ne quid detrimenti Resp. caperet: delectus aũt Pompeius tota Italia habet. Qui cum summa celeritate præsidium comparasset, postulauerunt apud eũ familiã Milonis, Faustæq; uxoris eius exhibendã duo adolescentuli, qui Appij Clodij ambo appellabantur, qui erant C. Clodij filij, qui frater fuerat Clodij: & ob id illi patrui sui mortem uelut autore fratre persequebantur. Easdem Faustæ & Milonis familias postulauerunt duo Valerij Nepotes, & Leo: & L. Herennius Balbus P. Clodij quoq; familiã & comitũ eius postulauit eodem tempore Cæcilius familiã Hipsei & Qu. Pompei postulauit. Adfuerunt Miloni Qu. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. Verba pauca Qu. Hortensius dixit, Liberos esse eos, qui pro seruis postularentur. nam post recentem cædem manumiserat eos

Milo ſub hoc titulo, quòd caput ſuũ ulti eſſent. Hæc agebantur menſe intercalari poſt diem trigeſimum ferè quàm erat Clodius occiſus. Qu. Metellus Scipio in Senatu contra M. Cæpionem conqueſtus eſt hac de cæde. P. Clodij: falſum eſſe dixit, quòd Milo ſe ſic defenderet, & Clodiũ uicinos Decuriones alloquendi gratia abiiſſe, profectum cum ſex ac XX. ſeruis. Milonem ſubitò poſt horam quartam Senatu dimiſſo, cũ ſeruis amplius CCC. armatis obuiam ei cõtendiſſe, & ſupra Bouillas inopinantem in itinere aggreſſum: ibi P. Clodium tribus uulneribus acceptis Bouillas perlatũ: tabernam in quã profugerat, expugnatam à Milone, ſemianimem Clodiũ extractũ, in uia Appia occiſum eſſe, annulumq; eius ei morienti extractum. Deinde Milonem cũ ſciret in Albano paruulum filiũ Clodij ueniſſe ad uillam, & cũ puer ante ſubtractus eſſet, ex ſeruo Halicore quæſtionem ita habuiſſe, ut eũ articulatim conſecrarent: uillicũ & præterea duos ſeruos iugulaſſe. ex ſeruis Clodij, qui dominum defenderint, undecim eſſe interfectos: Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe: ob quæ Milonẽ poſtero die XII. ſeruos, qui maximè operam nauaſſent, manumiſiſſe, populoq; tributim ſingula millia æris ad defendendos de ſe rumores dediſſe. Milo miſiſſe ad Gn. Pompeium dicebatur, quod Hipſeo ſummè ſtudebat, quòd fuerat eius Quæſtor, deſiſtere ſe petitione

titione Consulatus, si ita ei uideretur. Pompeium re-
spondisse: Nemini se neq; petendi, neq; desistendi au-
torem esse, neq; P. R. potestatem, aut consilium, aut
sententiã interpellaturũ. Deinde C. Lucilium, q̃ pro-
pter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Milo-
ni, egisse quoq; dicebatur, ne se de hac re consulẽdo,
inuidia oneraret. Inter hæc cũ crebresceret rumor
Cn. Pompeium creari Dictatorem, neq; opportunè
aliter mala ciuitatis sedari posse uisum est optimati-
bus tutius esse, eũ Consulem sine collega creari. Et cũ
tractata ea res esset in Senatu, facto in M. Bibuli sen-
tentiam S. C. Pompeius ab interrege Seruio Sulpitio
V. Cal. Mart. mẽse Intercallario Cos. creatus est: sta-
timq; Consulatum inijt. Deinde post diem tertiũ de
legibus nouis ferendis retulit: duas ex S. C. promul-
gauit. Alteram de ui, qua nominatim cædem in Ap-
pia uia factam, & incendium Curiæ, & domum M.
Lepidi Interregis oppugnatam comprehẽdit: Alte-
ram de ambitu, qua pœnã grauiorem, & formam iu-
diciorum breuiorẽ. Vtraq; enim lex prius testes da-
re, deinde uno die atq; eodẽ, & ab accusatore, & ab
reo perorari iubebat: ita ut duæ horæ accusatori,
tres reo darentur. His legibus obsistere Mar. Cælius
Trib. pleb. studiosissimus Milonis conatus est, quòd
& priuilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia
præcipitari: & cũ pertinaciùs legem Cælius uitupe-

ret, eò processit iræ Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se R.P. defensurum. Timebat autem Pompeius Milonẽ, seu timere se simulabat. plerumq; enim non domi suæ, sed in hortis manebat. idq; ipsum in superioribus, circa quos etiã manus militum excubabat. Senatũ quoq; semel repetiturus erat Pompeius, quòd diceret timere se aduentũ Milonis. Deinproximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad fœmur alligatũ dixerat: postulauerat, ut fœmur uideret: & ille sine mora tunicam leuarat. Tũ M. Cicero exclamauerat omnia illi similia crimina esse, quæ in Milonem dicerẽtur. Alia die Numatius Plãcus Trib. pleb. produxerat in concionem M. Aemiliũ Philemonem notum hominem, libertum M. Lepidi, qui se dicebat, pariterq; secum quatuor liberos homines iter facientes insuper ueniisse, cum Clodius occideretur: & ob id cum proclamassent, abreptos, & perductos per duos menses in uillam Milonis, & præclusos fuisse. eaq; res, seu uera, seu falsa, magnam inuidiam Miloni contraxerat. Itidemq; Numatius, & Pompeius Trib. pleb. in Rostra produxerant Triumuirum Capitalẽ, eumq; interrogauerant, an Cascam Milonis seruum cædes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitiuo deprehensum, & ad se perductum esse responderat. denunciauerant tantũ Triumuiro, ne

seruũ

ſeruũ remitteret. ſed poſtera die Cælius Trib. pleb. & Manilius Camanus collega eius ereptum è domo Triumuiri ſeruum Miloni reddiderunt. Hæc, etſi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamẽ quia ita compereram, putaui exponenda. Inter primos & Qu. pompeius, & C. Saluſtius, & T. Numatius Plancus Trib. pleb. inimiciſſimas cõciones de Milone habebant: inuidiam etiam de Cicerone, quòd Milonem tanto ſtudio defenderet: atq; maxima pars multitudinis populi infenſa, non ſolùm Miloni, ſed etiam Ciceroni propter inuiſum patrocinium. Poſtea Pompeius & Saluſtius in ſuſpicione fuerunt, in gratiam redijſſe cum Milone, ac Cicerone. Plancus aũt infeſtiſſimè perſtitit atq; in Ciceronẽ quoq; multitudinem inſtigauit. Pompeio autem ſuſpectũ faciebat Milonem, ad pernicieẽ eius cõparatum eum uociferatus. Põpeiusq; ob ea ſæpius querebatur fieri ſibi quoq; inſidias, & ideo palam ac maiore manu ſe armabat. Dicturum quoq; diem Ciceroni Plancus oſtendebat. Poſtea aũt Qu Pompeius idẽ meditatus erat. Tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, ut nõ populi à ſe alienatione, non Cn. Pompeij ſuſpicionibus, non periculo futuro, ei ſi dies ad populum diceretur, nõ armis quæ palam in Milonẽ ſumpta erãt, deterreri potuerit à defenſione eius, cùm poſſet omne periculum ſuum, & offenſionem inimicæ multitu

dinis declinare, redimere etiam Cn. Pompei animũ, si paulũ ex studio defensionis remisisset. Perlata deinde lege Pompei, in qua id quoq; scriptum erat. Vt Quæsitor suffragio populi ex ijs, qui Consules fuerãt, crearetur, statim comitia habuit, creatusq; erat Cn. Domitius Aenobarbus Quæsitor. Aliorum quoq; iudicum, qui ea de re iudicarent, Põpeius tales proposuit, ut nunquam neq; clariores uiros, neq; sanctiores propositos esse constaret. Post q; statim noua lege Milo postulatus à duobus Appijs Clodijs adolescentibus ijsdem, à quibus antea familia eius fuerat postulata. Itaq; de ambitu ab ijsdem Appijs, & præterea C. Cetcio & L. Cornificio de sodalitijs, & à P. Fuluio Nerato. postulatus aũt erat & de sodalitijs, & de ambitu. Ea spe primum iudicium de ui futurũ apparebat, quòd eum damnatum iri cõfidebant, nec postea responsurum. Diuinatio de ambitu accusatorum facta est, Quæsitore A. Torquato. atq; ambo Quæsitores Torquatus & Domitius pridie Non. April. reum adesse iusserunt, quo die Milo ad Domitij tribunal uenit, ad Torquati amicos misit. ibi postulante pro eo Marco Marcello obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de ui iudicium esset perfectum. Apud Domitium autẽ Quæsitorẽ maior Appius postulauit à Milone seruos exhiberi numero IIII. & L. & cũ ille negaret eos, qui nominabantur,

tur, in ſua poteſtate eſſe, Domitius ex ſententia Iudicum pronũciauit, ut ex ſeruorum eorum numero accuſatorꝛquot uellet ederet. Citati deinde teſtes, ſecundum legem, quæ (ut ſuprà diximus) iubebat, ut priuſquam cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorũ Iudices confirmarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterũ iuberentur, ac coram accuſatore, ac reo, Pilæ in quibus noĩa Iudicum inſcripta eſſent, æquarentur. Dein rurſus poſtera die ſortitio Iudicũ fieret unius & LXXX. qui numerus cũ ſorte contigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent, tum ad dicendũ accuſator duas horas, reus tres haberet, reusq; eodem die illo iudicaretur. Prius aũt quã ſententiæ ferrentur, qui nos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reijceret, ita ut numerus iudicum relinqueretur qui ſententias ferrent, quinquageſimus & unus. Primo die datus erat in Miloncm teſtis Caßinius Schola, qui ſe P. Clodio fuiſſe, cum is occiſus eſſet, dixit: atrocitatemq; rei factæ quã maximè potuit auxit: quẽ cũ interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circũſtantis exterritus eſt, ut uim ultimam timẽs in tribunal à Domitio reciperetur. Quã ob cauſſã M. Marcellus & ipſe Milo à Domitio præſidium implorauerunt. Sedebat eo tempore Cn. Põpeius ad Aerarium, perturbatusq; erat eodẽ illo clamore: itaq;

Domitio

Domitio promisit, se postero die cum præsidio descensurum, idq; fecit. Quare territi Clodiani, silẽtio uerba testiũ per biduum audiri passi sunt. Interrogauerunt eos M. Cicero, M. Marcellus & Milo ipse. Multi ex ijs qui Bouillis habitabant, testimoniũ dixerunt de ijs, quæ ibi facta erant, Cauponẽ occisum, tabernam expugnatã, corpus Clodij in publicũ extractum esse, Virgines quoq; aliæ dixerunt, mulierem ignotam uenisse ad se, quæ Milonis mandato uotum solueret, q̃ Clodius occisus esset. Vltimæ testimoniũ dixerũt, Sẽpronia Tuditaui filia, socrus P. Clodij, et uxor Fuluia, & fletu suo magnoperè eos qui adstabant cõmouerunt. Dimisso circa horam decimã iudicio, T. Numatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, & elabi Milonẽ non pateretur, iudiciumq; & dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendã postero die Iudicib. qui fuit ad III. Id. April. clausæ fuerunt totæ urbe tabernæ, præsidia in foro, & circa oës fori aditus Pompeius disposuit: ipse pro Aerario, ut pridie, cõsedit, septus delecta manu militũ. Sortitio deinde iudicũ à primo die facta est: póst tantum silentium toto foro fuit, quantũ esse in aliquo foro posset. tũ intra horam secũdam accusatores cœperunt dicere. Appius maior, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos, usi sunt ex lege horis duabus. Respõdit his unus

M. Cice-

ARGVMENTVM.

M. Cicero. & cum quibuſdam placuiſſet ita defen=
di crimen, interfici Clodium, pro Repub. fuiſſe: quã
formam M. Bru. ſecutus eſt in ea oratione quam pro
Milone compoſuit: & êdidit quamuis non egiſſet:
Ciceroni id nõ placuit, quòd qui bono publico dam
nari, idem etiam occidi indemnatus poſſet. Itaque
cũ inſidias Milonem Clodio feciſſe poſuiſſent accu=
ſatores, quia falſum id erat, nam fortè illa rixa com=
miſſa fuerat, Cicero apprehendit, & contrà Clodi=
um Miloni feciſſe inſidias diſputauit, eoq; tota ora=
tio eius ſpectauit: ſed ita conſtitit (ut diximus) neu=
trius conſilio pugnatum eſſe eo die, uerum eos fortè
occurriſſe, & ea rixa ſeruorum ad eam cædem per=
uentum. Notum tamen erat, utrunq; mortem alteri
ſæpè minatum eſſe: & ſicut ſuſpectum Milonem ma=
ior iam Clodij familia faciebat: ita expeditior &
paratior ad pugnam Clodianorum, quàm Milonis
fuerat. Cicero cùm inciperet dicere, exceptus eſt ac=
clamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu
quidem circumſtantium militum potuerunt. Itaque
non ea qua ſolitus erat conſtantia dixit. Manet au=
tem illa quoq; excepta eius oratio. Scripſit
uerò hanc quam legimus, ita per=
fectè, ut iurè prima ha=
beri poßit.

FINIS.